IOA. IOSEPHI NOBILIS DE HAVERN

S. R. I. EQUITIS, AUGUSTAE A CONSILIIS BELLICIS, DAPIBUSQUE FERUNDIS,

DISSERTATIO APOLOGETICA,

QUA

AENEI, ET VNICI VESPASIAE POLLAE NUMI,

QUI IN EIUSDEM MUSEO HIC VIENNAE ADSERVATUR,

ANTIQUITAS, ET INTEGRITAS VINDICANTUR,

EVERSIS ARGUMENTIS,

QUEIS EA IN II. AD EUMDEM EPISTOLA, HIC LOCI TYPIS EVULGATA, IMPUGNAVIT

CLARISSIMVS E S. J. P. JOSEPHVS KHELL,

IN

THERESIANO NOBILIUM CONLEGIO

BIBLIOTHECAE GARELLIANAE, ET REI ANTIQUARIAE DOCENDAE PRAEFECTUS, ACADEMIAE HETRUSCAE CORTONENSIS SOCIUS.



VINDOBONAE,

TYPIS JOANNIS THOMAE DE TRATTNERN,

CAES. REG. AULAE TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLAE.

MDCCLXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOSEPHO WENCESLAO

S. R. I. PRINCIPI,

ET

RECTORI DOMUS

DE ET IN

LIECHTENSTEIN

NICOLSPURGI, DUCI OPPAVIAE, ET CARNOVIAE

IN SILESIA,

COMITI RITTBERGAE,

AUREI VELLERIS, AC INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI

REGIS APOSTOLICI

MAIORIS CRUCIS EQUITI,

SACR. CAESAREARUM, REGIAEQUE APOST. MAIESTATUM

SANCTIORIS SENATUS CONSILIARIO, ET CUBICULARIO, EXERCITUUM AUSTRIACORUM

POLEMARCHO, SUMMO REI TORMENTARIAE MODERATORI, UNIUS

DIMACHARUM LEGIONIS TRIBUNO,

NEC NON

SUPREMO LEGIONIS TORMENTARIAE

PRAEFECTO

&c. &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRINCEPS SERENISSIME.

Ut exili huic Diſſertationi Apologeticæ, quæ Aenei, & Vnici Numismatis, meo in Muſeo adſervati, Antiquitatem una, & Integritatem contra Literarios Eruditi Adverſarii inſultus tuetur, SERENISSIMUM. NOMEN. TUUM. *præfigerem, tria potiſſimum ſunt, quæ me induxere.*

Alterum quidem mihi cum toto orbe Auſtriaco quodammodo eſt conmune; Alterum vero pro eo, quo defungor munere, arctiore aliquo titulo ad me adtinet: Tertium denique mihi, velut uni proprium, ſingulare, ac viritim meum jure vendico optimo.

Digitized by Google

Habet profecto Orbis *Auſtriacus*, *quæ* TIBI. PRINCEPS. MAXIME. *ſeu toga*, *ſeu ſago parta*, *adceptaque referat conmoda*, *& ornamenta quam plurima. Quid enim ſplendidiſſimas illas, queis* LEGATVS. AVGVSTI. TERTIVM. *defunctus es*, *Legationes*, *an Triumphales potius Pompas*, *feſtasque adclamationes?* PARISINAM, PARMENSEM, FRANCOFORDIENSEM, *pluribus hoc loco conmemorem*, *celebremque? ubi Nominis Auſtriaci Majeſtatem*, & AVGG. CAROLI. VI. FRANCISCI. I. & MARIAE. THERESIAE. MAGNIFICENTIAM. & GLORIAM. PERPETVAM. *qua opulentiſſimo veſtium ornatu*, *qua ſumptuoſiſ-*

Digitized by Google

ſimo curruum, rhedarumque adparatu, qua ſuperbiſſimo equorum inſtructu, famulorumque comitatu longe ampliſſimo, atque inprimis Heroi Vultus TVI. *dignitate, orationisque venuſtate ac robore, univerſo, qua late pertinet, orbi Europæo feciſti palam.*

Verum enimvero multo auctiora ſago & armis Auſtriaco Imperio conparaſti decora, & emolumenta; ubi Bello Italico IMPERATOR. ITERVM. *renuntiatus ac ſalutatus, atque* EXERCITIBVS. ITALICIS. LONGOBARDICIS. PRAEFECTVS. *de* VICTIS. HOSTIBVS. *ampliſſimas binas* VICTORIAS. TRIVMPHOS. *egiſti Heroum Heros Strenuiſſime! Has* TV. *equidem*

Digitized by Google

Ferro *præſens demeſſuiſti Palmas. At longe maximam Victoriarum ſegetem vel abſens* Aere *conlegiſti, quum tertio Bello Sileſiaco, eoque omnium ante geſtorum ſæviſſimo, varia juxta, ac prope innumerabili Machinarum Bellicarum, Catapultarum Muralium, Baliſtarum, Tormentorum, Tuborum, Fiſtularumque Aenearum, partim recenti admirandoque ingenii partu excogitatarum, partim ad majorem efficacitatem expolitarum, ſupellectile & adparatu univerſam rem Tormentariam, atque Pyrobolariam Auſtriacam ſummum ad perfectionis culmen evexiſti, ejusque adminiculo hoſtium Auſtriacorum maxime extimeſcendis, imo ad eam usque diem invictis,*

in-

Digitized by Google

internecinas in Bohemia, & Sileſia intuliſti clades. Vnde non modo HOSTIVM. VICTOR. *verum &* CONSERVATOR. ac RESTITVTOR. ITALIAE. LONGOBARDIAE. BOIOHEMIAE. MORAVIAE. *atque adeo* ITALICVS. LONGOBARDICVS. BOIOHEMICVS. MORAVICVS. *Majorum noſtrorum more, atque lingua ſeram ad poſteritatem audire promeritus fueras.*

Tantus profecto Meritorum TVORVM. *ſago, togaque partorum ſplendor quid mirum? quod & ipſius* AVGVSTISSIMI. NOSTRI. JOSEPHI. II. *oculos, mentemque longe perſpicaciſſimam mox ſub Imperii aditum (ex*

Digitized by Google

cujus quidem primordiis tantopere ſecundis PRIMI *Felicitatem jure ſibi, meritoque ominantur univerſi Populi Auſtriaci) perſtrinxerit, Eumque induxerit, ut* TE. Inſignis Ordinis S. Stephani Regis Apoſtolici, *ab* AVGVSTISSIMA. NOSTRA. *in* SVI. NOMINIS. *juxta, atque Nationis Hungaricæ gloriam, memoriamque perennaturam recens inſtituti, Majoris Crucis Equitem primos inter cum ſingulari honoris ſignificatione crearet, atque aureo torque donaret.*

Quidni igitur & ego tam magnis TE. *Inluſtrem ornamentis, ac meritis, tantumque, ac talem in* Aere TRIVMPHATOREM. *tantorumque prodigiorum Machinatorem li-*

Digitized by Google

terariæ meæ Aereo *ſuper Numo pugnæ Præſidem, ac Cuſtodem deligerem? ut hoc pacto qualis demum cumque hæc opella mea, tanti* NOMINIS. *ſplendore inluſtrata, & lecturis adrideat magis, & lucem publicam, atque adverſariorum tela, hoc ſidere,* GENIO*que* FELICI. *ſubſulta, minus reformidet.*

Ego, inquam, TE. PRINCEPS. OPTIME. *certamini meo literario Ducem, ac Vindicem delegi, propterea quod vel ipſius etiam, quod gero, muneris ergo particulari quadam ratione in* TVORVM. *Clientum cenſum venio: nam cum* AVGVSTA. *pro ſua* CLEMENTIA. *bellicis me ſubſelliis admovere, ac ſacris Senatus Militaris conſiliis inter-*

Digitized by Google

eſſe voluerit ; an non publica aliqua honoris, obſervantiæque meæ ſignificatione proſequar Eum, cujus non modo conſiliis, ſed & auſpiciis, conatibus, molitionibusque pro penu, atque adparatu Tormentario adſiduis res bellica Auſtriaca ad eum, quem orbis ſtupet, ac hoſtis expaveſcit, fortitudinis atque gloriæ apicem adſurrexit? Quid? quod Boico jam ante bello mihi quodammodo in partem & communionem operum laborumque illorum, qui TE. *ſubinde adeo in orbe Magnum, atque ad poſteros Inſignem effecere, venire conceſſum fuerat; quum mihi, illo ut cum maxime fervente, princeps ac peculiaris machinarum muralium & obſidionalium in Bohemiam depor-*

Digitized by Google

tandarum, atque ad Pragenſem Metropolim expugnandam, hoſtibusque eripiendam admovendarum cura demandata erat.

Adcedit, quod, quum TV. PRINCEPS. MAGNIFICENTISSIME. *pretioſam ipſe, Antiquitatis & amator, & æſtimator, Gazam ac Cimeliarchium, ab inſigni antiquorum omnis generis monumentorum copia atque opulentia tota Europa longe celeberrimum, noſtrate hac in urbe poſſideas, ea me ſpes animaverit fore, ut fors quædam in iſthac opella mea ſis reperturus, quæ aliquam* TIBI. *gaudii ac voluptatis queant ſubpeditare materiem.*

Digitized by Google

Sed denique id, quod omnium maxime ad conſecrandam hanc SERENISSIMO. NOMINI. TVO. *Apologiam me inpulit, quodque ex æquo & juſto, tamquam uni mihi proprium, ſingulare, atque domeſticum vendico, eſt illud* AETERNVM. BENEFICIVM *quod me deprecatore cuidam, claro quidem genere ortæ, at non ſolum parentibus, verum & ſubſidiis omnibus vitæ neceſſariis orbæ, pro innata* TIBI. PIETATE. ac LIBERALITATE. *e veſtigio addixiſti, atque contuliſti: ut adeo aliquo modo inſtauraſſe, atque innovaſſe videaris ſingularem illam Antonini Pii beneficentiam, inluſtri pietati conjunctam, quæ geminis ipſis Numis ad po-*

Digitized by Google

ſteritatem tranſmitti merebatur, cum hac adpoſita Inſcriptione: PVELLAE. FAVSTINIANAE. *Has nempe Antoninus in honorem, ac memoriam Fauſtinæ Uxoris ſuæ, jam inter Divas relatæ, munifice alebat. Hinc jam abunde, opinor, perſpicis* PRINCEPS. CLEMENTISSIME. *quale hoc loco intelligam Beneficii genus, pluribus id expoſiturus, atque pro dignitate etiam præconiis ornaturus; dum* MODESTIA. TVA. *vel in vulgus explorata, aliaque, rei huic adjuncta, hoc mihi permitterent. Pro eo certe publicum iſthoc grati, quo* TIBI. *obſtringor, animi, perennisque memoriæ documentum ac teſtimonium hic adpoſitum, atque* TVAE.

Digitized by Google

MVNIFICENTIAE. *perpetuo ſacrum eſſe volo.*

Et ſane tantorum Fulgore meritorum, quibus priſcorum Heroum, atque Imperatorum decora ac facinora, quæ in æs inciſa hodieque conſpiciuntur, non exæquaſti modo, ſed quam longiſſime præcelluiſti, incitatus ego (quodſi modo IIIVIR. AERI. FLANDO. FERIVNDO. *præeſſem)* SERENITATI. TVAE. *de* Aere *tantopere meritæ, noſtrorum more Majorum, Numum ex* Aere *procudendum curarem, qui germanam & corporis, & animi* TVI. *imaginem, præclaraſque dotes, atque res pulcerrime geſtas, non eruditis tantum viris, ſed vel inliteratis, ac*

uni-

univerſo populo ſpectandas obferat; ut hoc pacto cuncti, ac ſinguli vel oculis legant, hauriantque Eum, cui tanta debet Imperium Auſtriacum.

Hujuscemodi in Numiſmatis parte Adverſa *eniteſcat Oris, Vultusque* TVI. *ſuavitas cum Heroa gravitate conjuncta, atque ex vero efficta cum ſequenti, minime vana Titulorum* TVORVM. *oſtentatrice, Epigraphe adjecta:* JOSepho. WENCeslao. LIECHTENSTEINIO. PRINCipi. PIO. MAGno. FELici. LEGato. AVGuſti. III. TRIBuno. MILitum. IMPeratori. ITERum. *Noſti quippe, Imperatores eos quoque*

* * *

Digitized by Google

olim ſalutatos, & ab militibus renuntiatos, qui Exercitibus, bellisque ſumma cum poteſtate præerant, egregiamque de hoſtibus victoriam retulerant. Averſam *ornent conlocata in medio* Signa Militaria *cum* Tropaeo, *corona gemina &* Querna, & Laurea *redimito; altera* OB.CIVES.SERVATOS. *altera* OB. HOSTES. DEVICTOS. *utraque* VICTORIARVM. *ac* TRIVMPHORVM. TVORVM. *teſſera inmortali. Præ reliquis emineat* Aeneum majoris formæ Tormentum, *princeps* INDVSTRIAE. *ac* GLORIAE. TVAE. *inſigne. Hæc ſuper* Aquila, *in altum ſeſe* Expanſis Alis *adtollens fingatur*,

Digitized by Google

ungue Siniſtro *evibrans* Fulmen, *luculentum incredibilis* Machinarum Aenearum TVARVM. & Celeritatis, & Roboris, & Stragis *indicium:* Dextro *prehenſum teneat proprium* SERENISSIMAE. GENTI. TVAE. *ſcutum, in quo* Cornu Venaticum, *largum evomens numorum imbrem, vicem ſuſtineat* Cornu Copiæ, *ſigni nimirum Regiæ* MVNIFICENTIAE. *atque* LIBERALITATIS. TVAE. *Obverſum Aquilæ latus* dextrum *obcupet* Ciconia, TVAE. *in alios* PIETATIS. *typus;* lævum *vero teneat* Figura ſtolata, capita ſolis, & lunæ manibus præferens, *hieroglyphicum Aeternitatis ſym-*

Digitized by Google

bolum, quale & *in Veſpaſiani, Veſpaſiæ meæ filii natu minoris, Numiſmatibus repræſentat Comes* MEDIOBARBVS*: iſthæc nempe* AETERNAE. *Meritis, Nominique* TVO. *debitæ* GLORIAE. & HONORIS. *eſto nota. Inſcriptio dignos Laudum, Meritorumque* TVORVM. *Titulos orbi enuntiet:* JOVI. FVLGVRATORI. TONanti. AVSTriaco. DEBELLatori. HOSTium. CONSERVATORI. PATriæ. LONGOBARDICo. BOIOHEMICo. MORAVICo.

Hac ego TE. PRINCEPS. MAXIME. *ratione in* Aere *vel poſt ſecula ſuperſtitem, atque pro Meritorum* TVORVM. *magnitu-*

dine ſeræ poſteritati, ipſique adeo æternitati commendatum ex animo cuperem.

Interea hæc Charta perenne & TVAE. *erga me* MVNIFICENTIAE. *& debitæ meæ in* TE. *obſervantiæ, gratique animi exſtet monumentum. Vnus deinceps ardentium votorum, ac precum mearum ſcopus, finisque erit, ut* DEVS. SOSPITATOR. CONSERVATOR. SALVTIS. DEFENSOR. *atque* TVTATOR. DEVS. ADJVTOR. OPTIMVS. MAXIMVS. *porro* TIBI. PLVRES. NATALES. FELICES. *largiatur,* TEque AETERNA. *poſt hæc* FE-

Digitized by Google

LICITATE. & GLORIA. PERPETVA.
donet. Ita vovet, ac precatur

SERENISSIMAE. CELSITVDINI.
TVAE.

DEVOTISSIMVS, DEVINCTISSIMVSQVE
JO. JOSEPHVS DE HAVERN S. R. I. EQVES,
ET AVGVSTAE A CONSILIIS BELLICIS, AC DAPIBVS FERVNDIS.


Digitized by Google

Digitized by Google

Nondum convenit inter Antiquarios de contentionum numariarum arbitro, qui falli nequeat. Eorum præſtantiſſimus quisque in dies ſingulos manus dare cogitur ad conſpectum QVORVMDAM NUMORVM, *qui ante* INCOGNITI, *puncto temporis evertunt* ARGVMENTA, *quæ pro* INDVBITATIS *venditarat.* P. Jobert La Sci. des Méd. T. II. p. 2.

Ex *ipſo errore* (VAILLANTII) *axioma illud altius inprimendum infero, quam* CAVTISSIMOS *nos eſſe oportere in ſtatuendis* LEGIBVS VNIVERSALIBVS, *quas* VNICVS *forte inventus* INTEGERRIMAE ANTIQVITATIS NVMVS *evertit.* P. Khell in 1. ad Hauerum Epiſ. p. 9.

Digitized by Google



I. Fig. Numi, qualis hodie in Muſeo Haueriano Vindobonæ viſitur.
II. Fig. ejusdem, qualis olim cum integro limbo in primo ortu ſuo erat.

Minime miror, CLARISSIME KHELLI, ſi ad primum Apologiæ hujuſce meæ adſpeſtum reſponſi, ad tuam ad me Epiſtolam ſuper Veſpaſiæ Pollæ numo usque huc dilati, admiratio animum obcupet tuum. Plaudebas tu certe jam tibi de proſtrata Veſpaſia mea, ac forteàn πρὸ τῆς νίκης τὸν παιᾶνα canebas; neque unquam putabas futurum, ut ejusdem in ære, veluti poſtliminio, reviviſcat memoria.

Digitized by Google

Si diuturnæ procraſtinationis meæ cauſſam adfero militarium negotiorum molem, atque bellicorum ſubſelliorum adſiduitatem; verum dico, at necdum totum: quodſi namque una hæc, ac omnis exſiſtat cunctationis meæ ratio, næ tu etiamnunc reſponſum fruſtra præſtoleris meum. Dicam igitur, quod caput rei eſt: cenſorius ille rigor tuus, atque Manliana propemodum ſeveritas, qua velut ſupremus rei monetariæ arbiter in aheneum Veſpaſiæ meæ numiſma proſcriptionis ſententiam tuliſti, me induxere, ut principio crederem te, niſi graviſſimis convictum & ſubfultum argumentis, in Pollam meam inſontem ea inclementia & aſperitate animadverſurum non fuiſſe; atque minime *de Tribus Capellis* tecum mihi litem intercedere, neque te ignorare:

Quid diſtent æra lupinis.

Quare in ſpinoſo hoc ac inplexo litium numariarum, contentionumque monetalium labyrintho haud absque Theſeo progrediendum mihi cenſebam: hinc eruditorum, atque cum in moneta veterum, tum antiqua hiſtoria adprime exercitatorum virorum mentem ac ſententias periclitandas (id quod tu probe perſpicis, absque magna & temporis & operæ inpenſa præſtari nequaquam potuiſſe) ante duxeram, quam cariſſimum numophylacii mei ocellum incertæ

Digitized by Google

aleæ committerem, tecumque inparatus cæco quaſi Marte, ac tumultuaria acie confligerem; tecum, inquam, qui tamquam primæ magnitudinis ſidus in cœlo antiquario exſplendeſcis.

Quidquid itaque iſthac in *Diſſertatione* aut ad retundenda tela tua, aut ad conprobandam numiſmatis mei γνησιότητα adcommodorum atque idoneorum repereris argumentorum (reperies autem non pauca) omne id primum literatorum, ſapientumque virorum, atque æquorum cauſſæ noſtræ arbitrorum conſilio & adprobatione ſuſceptum: tum adſenſu & autoritate mea executioni traditum; ac denique cujuspiam Numophili opera, pennaque elaboratum eſſe ſcias velim. De hiſce mox in veſtibulo admonitum te volui, ut adeo mente a præjudicatis opinionibus, imaginibusque ante captis prorſus eximia, atque in unam modo veritatem intenta, id quod obnixe abs te poſtulo, qualem demum cumque hancce opellam pervolutare queas, & quidquid hic exaratum deprehenderis, id noris eo derivare, unde profluxerat.

Ex adhuc dictis jam quoque, opinor, intelligis, eccur exili huic *Diſſertationi* Inluſtre ſtrenuiſſimi noſtri ævi Herois, ſereniſſimi nimirum Principis IOSEPHI WENCESLAI LIECHTENSTEINII Nomen ac titulos præfixerim: volebam quippe literariæ *æneo* ſuper numo pugnæ atque cer-

Digitized by Google

tamini eum præeſſe ducem, qui veluti aliquis *ex machina Deus*, non *ænea* equidem moneta, at tamen, quod multo amplius eſt, *ænearum* omnis generis machinarum, aut recens ſtupendo ingenii partu excogitatarum, aut ad ſublimiorem perfectionis apicem provectarum, majoremque ad efficacitatem inſtructarum, ingenti juxta, ac multiplici adparatu atque vi hoſtibus Auſtriacis maxime formidandis tantumdem damni, cladisque intulit, quantum alii exercituum ductores ſeu ferro, ſeu conſilio. Profecto

Noſtri Decus Admirabile ſecli!

Cupiebam una, ſin auctius, at ſaltem tantum ex tanti Nominis ſplendore Veſpaſiæ meæ honori arceſſere decus ac ornamentum, quantum juſto ſeverior penna tua de illo detractum ibat; ut hoc pacto lector in primo mox limine, ſplendidi adeo Nominis majeſtate inlectus, æquum facilemque meam erga Veſpaſiam induat animum: tu vero, KHELLI CELEBERRIME, objecto hoc Marte Fulminatore extimeſcas, explicatisque frontis rugis a Minoa tua ſeveritate remittas aliquantum.

Et ſane, iterum dico iterumque, imperioſum illud tuum ſenatus conſultum: *Numus Veſpaſiæ Pollæ inter adulterinos*

proſcribitor: placido haud potis ſum concoquere animo. Quod ſi eruditas modo conjecturas, aut ſi quæ tibi oborta erant, literaria meo ſuper numiſmate dubia in medium adtuliſſes, ac mecum ingenue conmunicaſſes, id quod præprimis ipſa tuæ erga me, quam toties verbis declaraſti, humanitatis & amicitiæ obficia abs te depoſcebant; næ tu cauſſæ tuæ melius conſulturus, primusque fors ego futurus eram, qui præclaro huic conſilio tuo adplauſiſſem. Noſti enim ut qui optime, imo Inluſtriſſimi diſcipuli tui COMITIS CRISTIANI ore loquens (α) ultro profiteris: *In re numaria non omnia profecto clara, atque evidentia poſtulanda, in pluribus enim multum præſtari, ſi probabili aliqua* CONJECTURA *ſpiſſæ antiquitatis tenebræ, tanquam exigua quadam luce excitata, non penitus quidem diſpellantur, ſed tamen minuantur aliquantum.* Non poſſum hac obcaſione conmittere, quin publico teſtimonio animi mei ſenſa de inluſtriſſimo hoc Comite CRISTIANI declarem. Eum hactenus & amavi, & ſuſpexi cum ob venuſtiſſimam juvenis Nobiliſſimi indolem, tum ob ſingularem ea in ætate hiſtoriæ juxta, ac monetæ veteris intelligentiam, quam præter conplura, quæ Thereſiano in Conlegio magno, & quod amplius, merito cum plauſu me coram teſte ſuſtinuit tentamina, non ſolum in *Adpendicula* mox

(α) *Com. Criſtiani Adpendic. ad Numiſm. Græc. Iac. Geſneri. pag.* 76

laudata, ſed Haymii quoque *Theſauri Britannici* Volumine I., eleganti latinitate donato, luculenter prodidit. Dignus hinc eſt, qui nedum magni Parentis, ſed propriis etiam cenſeatur meritis, quibus ipſis AUGUSTAM NOSTRAM fas eſt credere inpulſam, ut eidem uſque huc non perinde dominam, quam matrem ſe præſtaret. Hæc paucis hic adtigiſſe ſat ſit: jam e diverticulo ad viam.

Conmeminiſſe præterea debebas, KHELLI DOCTISSIME, eorum, quæ celeberrimus quondam tuus in arte numaria Magiſter FROELICHIUS ὁ νῦν ἐν ἁγίοις (α), in quo rara animi modeſtia cum ſcientia minime vulgari de palma contendebat, verbis uſus TERENTII (β), de ſe ipſe ſcribit: *Plane in me expertus ſum, uti ad vitam humanam, ita ad rem numariam veterem nunquam ita quemquam ſubducta ratione fuiſſe, quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet novi, ſemper aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.* Eamdem in rem P. JOBERTUS ex tua pariter Societate in præclaro ſuo libello, *la Science des Médailles* (γ) inſcripto, ait: *L'on n'eſt point encore juſques ici convenu d'un juge*

(α) *IV. Tent. in Re Num. Vet. p.* 391.
(β) *Adelph. Act.* 5. *ſcen.* 4.
(γ) *Inſtr. XI. p.* 2.

infaillible des controverſes, qui arrivent entre les curieux. Les plus habiles ſont obligés tous les jours de ſe rendre à la vue de certaines médailles, qu'ils ne connoiſſent point, & qui détruiſent en un clin d'oeil les principes, qu'ils avoient avancés comme indubitables. Necdum convenit inter antiquæ monetæ curioſos de veraci, ſallique neſcio arbitro contentionum, quæ inter ipſos intercedunt. Horum præſtantiſſimi in dies ſingulos berbam neceſſe babent porrigere ad conſpectum certorum numiſmatum, quæ antea ipſis penitus ignota, momento evertunt rationes & argumenta, quæ pro indubitatis venditabant.

Iſtis tu ipſe ex integro adſentiri videris, quum, non jam alieno loquens ore, in *I.* tua ad me *Epiſtola pag.* 9. ita ſcribis: *Ex ipſo errore*, Vaillantii, *axioma illud altius inprimendum inſero, quam* CAUTISSIMOS *nos eſſe oportere in ſtatuendis legibus univerſalibus, quas* UNICUS *forte inventus integerrimæ antiquitatis* NUMUS *evertit.* Atque utinam tibi iſthoc ſubiiſſet in altera tua, idem ferme ſub tempus ad me data, *Epiſtola*! Majore fortaſſean moderatione, minorive cum ſeveritate, certe ambigentis, minime decernentis, aut de ſubgeſto proſcribentis more, meo in numiſmate verſatus fuiſſes.

Enimvero tot σφάλματα ac prolapſiones etiam principum noſtra in arte Magiſtrorum, in quorum numero te me-

rito cenſent Numophili omnes, te timidiorem, atque in ſententia ferenda multo difficiliorem præſtare debuerant. Ut miſſa hic faciam conplura exempla errorum, quæ in Clariſſimis alias ſupellectilis numariæ promiscondis, MEDIOBARBO, PATINO, VAILLANTIO, aliisque viri docti jam ante me viderunt, atque adnotarunt; unum dumtaxat in præſens conmemorabo, propterea quod tuum ipſius lapſum, qui quidem cum inmortali memoria digniſſimo FROELICHIO tuo conmunis tibi adcidit, palam facit. Edendo quippe Auſtriaco Gazæ Cæſareæ Muſeo intentus, Græcum *Damaſii* urbis numum *Damaſco* Syriæ adtribueras; id quod de te teſtatur laudatus ante Inl. Comes CRISTIANI (α) diſcipulorum gemma tuorum.

Maximo ſane opere cavendum tibi fuerat, ut juſtam mihi ne præberes anſam retòrquendi potiori fortaſſis jure in te ipſum verba, queis Cl. HARDUINUM in laudata mox *Adpendicula* nomine tuo conripit Inluſtriſſimus CRISTIANIUS (β): *ſatis mirari non poteram*, exclamans, *qua* CENSORIA POTESTATE *vir reverendus in notis numos ab Andrea Marmora relatos*--FICTOS ET ADULTERINOS *promulget.*

Ipſi

(α) *Com. Criſtiani Adpendic. ad Numiſm. Græc. Jac. Geſneri p.* 28.
(β) *Id. Ib. p.* 57.

Ipſi adeo Critici Vindobonenſes in erudita, quam ſuper binis tuis ad me epiſtolis tulere, cenſura Veſpaſiæ meæ forti indoluiſſe videntur, quum & de ipſius numiſmate inter fictos abjecto, & de eadem hoc pacto monetali honore deſpoliata haud obſcure conqueruntur. Ego certe, quo adtentius rem omnem, ac cumprimis eminentem tuam numorum, monumentorumque antiquorum ſcientiam mecum reputo, eo firmius perſuaſum mihi habeo, te ipſum longe alia ab iis, quæ ſcripſeras, animo foviſſe ſenſa; atque adeo non ſerio, ſed vel dicæ ſolum cauſſa, vel nimia eruditionis, qua polles, ubertate abreptum, vel novitatis quodam ſtudio, vel etiam cereum mihi, aliisve naſum fingendi lubidine inductum, calamum in Veſpaſiam meam exacuiſſe. Id quod quam a vero abſit proxime, ipſum exile atque inane, quæ adducis, argumentorum pondus ſatis ſuperque docet. Iſthoc itaque cum jam, jamque demonſtratum eo, a veteri, qua me adhuc proſecutus es, amicitia tua, ut, quidquid unius veritatis ſtudio pro mei numiſmatis pretio ac honore tuendo, alienis licet verbis, dicturus ſum, æqui bonique conſulas, & expeto, & exſpecto; idque hoc amplius, quod tu ipſe iterum mihi, ac tertium aperte ſignificaſti, te nihil æque in votis habere, atque ut aliquando tibi copia fiat Apologiæ meæ cernendæ.

Digitized by Google

Ut igitur ne diutius te in limine morer, ad rem ipſam adgredior. Ne apicem quidem dictorum tuorum, quoad neceſſe erit, relinquam intactum, atque ordinem, quem tibi, VIR EXIMIE, ſervare adlubuit, ad amuſſim conſectabor, enervatisque, ut ex alio aliud ſeſe mihi obferent, ratiociniis tuis, juxta meam proferam atque conſolidabo ſententiam.

Primo loco tuum in proſcribendo Veſpaſiæ numo rigorem purgare adniteris exemplo Italorum quorumdam, quorum nomina neſcis, antiquariorum, qui ſimili jam cenſura eumdem notarint. At enim haudquaquam advertebas, te, ubi eodem ipſe tempore adductas eorumdem rationes penitus refellis, ac infirmas, omnem una ipſorum cenſuræ vim adimere & valorem; atque adeo tantum abeſſe, ut eorum exemplo, & autoritate tueri te poſſis, uti potius, ſi quid inde, totum id adverſus te conligatur ac efficiatur.

Sed jam gravioribus mecum argumentis te congreſſurum minitaris, ubi primum ea removeris, quæ γνησίαν numi antiquitatem mihi perſuaſerant. Initium ducis a can-

Digitized by Google

dida relatione mea, qua tibi paucis expoſueram, ut in meas inciderit manus Veſpaſiæ numus: nempe veniiſſe mihi eum, ajebam, in ſacco inter centum, & amplius alia ſinceriſſimæ integritatis numiſmata obliteſcentem, atque tam opaco veſtitum cortice, ut diuturno demum labore adhibito vultus, inſcriptioniſque literæ ſe in conſpectum darent. Hinc prudenter conjectare fas mihi putabam, numum hunc pari cum reliquis illis integritatis pollere prærogativa, idque vel maxime propterea, quod tam ſtolidum ac plumbeum, ſperatique lucri tantopere incurium mea effingere mente nequeam inpoſtorem, qui rem, qua adlicere debebat maxime, quamque adeo in primis oculo ſpectandam objicere neceſſe habebat, numi nimirum rariſſimi, imo ad hunc diem unici imaginem & epigraphen, adhibito potius niſu omni, ac dedita veluti opera obculere, atque adſpectui eripere maluiſſet. Suboluiſſe aliquantum tibi videtur hujus vis argumenti; unde tantiſper *fingere* me jubes, *numum a falſario, ſubinde aut* OBLITO, *aut mortuo defoſſum, ab hærede, aliove forte inventum, inperito horum cimeliorum propolæ, aut pannoſo apellæ traditum*, denique *inter complures genuinos alios meas in manus veniſſe.* At, ſodes, fingito tu mihi id genus falſarium, qui numiſma rariſſimum, imo unicum, nulla prorſus lucri, quæſtuſve cupidine adlectus, ingenti cum moleſtia atque labore ex ære ad antiquam

adcurate ſcalpat, exprimatque normam! tum quidem continuo ego pro imperio tuo fingam, illum repente omnis ab ſe inpenſæ operæ, omniſque, quod inde exſpectabat, lucri ac emolumenti *oblitum*, jacturam ſibi ultro accerſere voluiſſe minime contemnendam.

Verum dices, fieri potuiſſe, ut aliquis antiquitatis peritus inpoſtor non quidem quæſtus, ſed animi dumtaxat cauſſa, aut ineruditos inludendi libidine adductus, ejuscemodi procuderet numum. At neque iſtum tibi conceſſero, ingenioſi conmenti ſui tam facile *oblitum* fuiſſe, niſi forte cum Poetis lethæum quempiam, de quo fortuitu delibarit, fontem conminiſci mavelis. Nam non ſumus ſic a natura conparati, ut eorum, unde vel quæſtum, vel voluptatem, vel inſignem aliquam famam nos conſecuturos confidimus, oblivione nos deſubito, aut facile capi patiamur. Haud gravatim itaque credidero, voculam illam *oblito* tuis ingratiis, atque aliud agenti tibi in calamum influxiſſe. Sed denique morte præventum eum dixeris: dabo id tibi, dum ante oſtendas, talem quempiam in vivis egiſſe falſarium, qui artem calluerit, quale eſt meæ Veſpaſiæ numiſma, nempe & metalli forma, & ponderis mole antiquis ſimillimum, maximeque geminum, denique ad omnem antiquitatis ſpeciem, & juxta eorum temporum ſcalprum ſeu χάραγμα quam ſcitiſſime

Digitized by Google

effingendi. Probe nimirum tenes, VIR ERUDITISSIME, venuſtiſſima illa, quæ *Cavinus* Patavinus, *Parmeſanus*, *Carteronus* ad antiquorum invidiam, arteque recentioribus haud imitanda flarunt, incideruntque numiſmata, nihilominus partim æris fabrica ac colore, partim ponderis moliſque ratione, partim & præſertim literarum imaginumque forma per exercitatos antiquarios haud magno negotio a genuinis, atque ſincere antiquis dignoſci. Hoc poſtremum præprimis de Joanne illo *Cavino* teſtatur Ant: Augustinus *Dial. II. Patavinus quidam hac in plaſtica excelluit veteres numos feliciter exprimens, ut ſpectanti voluptatem præbeant, & niſi peccarent interdum vel* Literæ, *vel* Imagines, *nihil requiras amplius.*

Jam eam, quæ unum ex principibus tuis conplecti videtur argumentis, quæſtionem mihi moves: *Matri ſuæ numum feriri permiſerit pius Filius?* moxque tibi ipſe reſpondes: *Id enim vero in animum inducere non poſſum, non* Inpium *faciam Veſpaſianum, ſed ab ingenio illius nimium abhorret magnifica iſtiuſmodi publico in ære majorum obſervantia.* Conroborare iſthæc niteris teſtimonio Suetonii (α) ſic loquentis: *Mediocritatem priſtinam neque diſſimulavit unquam, ac frequenter etiam præſetulit, quin & conantes quosdam originem Flavii ge-*

(α) *Suet. in Veſp. c. 12.*

neris ad Conditores Reatinos, comitemque Herculis - - - - referre, irriſit ultro. Et paulo poſt: *Ne Tribunitiam quidem poteſtatem, & Patris patriæ adpellationem niſi ſero recepit.*

Candide hic tecum conloquor: qui tu Veſpaſiano ex ſcalpto Matri numo *inpietatis* notam conflare, adſpergereque poſſis, neutiquam intelligo. Quis enim unquam filium, quod matrem. ſplendido alioqui genere oriundam, publica honoris ſignificatione, publicove monumento colat, *inpium* propterea conpellet? Ecquiſnam magnificam majorum obſervantiam probroſo *inpietatis* nomine dedecorare auſit? præprimis quum ſermo eſt de priſcis illis ſeu Græcis, ſeu Romanis, quibus nihil ſanctius, nihil ſolemnius fuiſſe conſtat, quam majorum, parentumque venerationem, adeo uti & divinos iisdem honores decernerent, defunctosque vel Deos crearent. Ipſe certe SVETONIVS aperte Claudium Cæſarem deprædicat (a), quod *converſus ad officia* PIETATIS *jusjurandum neque ſanctius ſibi, neque crebrius inſtituit, quam per Auguſtum. Aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtino ſimilem decernendum curavit. Parentibus inferias publicas: & hoc amplius, patri Circenſes annuos natali die;* MATRI *carpentum quod per circum duceretur: & cognomen Auguſtæ ab Avia recuſatum. Ne Marcum quidem*

(a) *Sueton. in Claud. c. 1.*

Digitized by Google

Antonium inhonoratum, ac ſine grata mentione tranſmiſit. Teſtatus quondam per edictum: tanto inpenſius petere ſe, ut natalem Patris Druſi celebrarent, quod idem eſſet & Avi ſui Antonii. Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeji Theatrum -- peregit.

Tu ipſe paulo poſt exemplum adducis Caji, matrem numo ejus honori ſignato honorantis; imo, quum infra *pag. 24* mentionem inferis ſignatorum Agrippinæ, ac aliarum *Auguſtalium* feminarum numorum, hæc adeo interſeris verba: *in quibus*, numis, FILIORUM PIETAS *celebratur.* Idem ipſe, de quo ante, Cajus Cæſar publicam ſibi promeritus eſt *Pietatis* ſtatuam ob Templum, divi Auguſti proavi honoribus dedicatum; teſtatum id faciunt numiſmata ærea, quorum aliquot ipſe meo in Muſeo habeo. In area anteriore viſitur *Pietas ſedens d. pateram tenens, ſ. veſtem complexa;* inſcriptio in numi limbo: C. CÆSAR. AVG. GERMANICVS. P. M. TR. POT. PIETAS. In medio: DIVO. AVG. Poſtica repræſentat *Templum Hexaſtylon.* Tantum itaque abeſt, ut Veteres magnificam majorum avorumque ſuorum obſervantiam cenſerent *impiam*, ut potius ſummam in iis, non numo tantum, ſed vel templo honoratis *pietatis* laudem repoſitam putarent. Supervacaneum foret ad hoc firmandum plura hic percenſere priſcorum ſeu teſtimonia, ſeu exempla, quæ innumera ſunt, ac veterum codices, & monumenta conſulentibus obvia.

At inſolentem, vanum, adrogantem eapropter dixeris Veſpaſianum ? ne id quidem : nam feriundo Veſpaſiæ honoribus numo *mediocritatis* aut modeſtiæ limites tranſgreſſus minime dici poteſt, quum idcirco ſibi, vel genti ſuæ *Flaviæ*, nempe teſte SVETONIO (α) *obſcuræ*, *ac ſine ullis majorum imaginibus*, nihil quidquam ſeu laudis ſeu gloriæ alienæ adrogarit, aut præcerpſerit ; ſed genus ſolummodo *Veſpaſiorum*, quorum alioquin, teſte eodem (β), *complura monumenta exſtabant, magnum indicium ſplendoris familiæ, & vetuſtatis*, in Veſpaſia Polla congruo publici in ære monumenti honore inluſtrarit, exemplo non modo deceſſorum ſuorum Auguſtorum, ſed ipſorum adeo Triumvirorum Monetalium, qui Familiarum, ac majorum ſuorum memoriam flatis, ſignatisque numis poſteritati conſignarunt : id quod *Familiarum Romanarum Numiſmata* ſatis ſuperque conprobant.

Unum modo hic conmemorabo exemplum A. Vitellii, quod, quum iſte proximus Veſpaſiani deceſſor fuerit, præſentiſſima adhucdum memoria conplecti debebat Veſpaſianus ; ſignaverat ille numum in honorem Patris ſui L. Vitellii, quem TACITUS tradit (γ) *Cenſorem*, *ac ter Con-*

ſulem

(α) *Sueton. in Veſpaſian. C.* 1.
(β) *Idem. ibid.*
(γ) *Tacit. Hiſt. I.* 9.

Digitized by Google

ſulem fuiſſe : numiſmatis hujus meminere & Inl. MEDIOBARBUS, & Cl. VAILLANTIUS, uterque in numis Vitellii Imperatoris. Jam quis vitio verterat Vitellio, quod numiſmate nomen cohoneſtarit Patris, ampliſſimis Reipublicæ uſi honoribus, & cujus *amplitudine*, quod ait idem TACITUS (*a*), *omnia adeptus eſt* filius ? Ecquis itaque Veſpaſianum vanitatis arceſſat aut inſolentiæ, ſi quidem in moneta conſignaſſet memoriam Matris, genere ortæ nobiliſſimo, & a qua ſtemmatis claritudinem, quin nomen ipſe ſortitus erat ſuum ?

Verum cedo, num quia numus Veſpaſiæ Pollæ inſcriptus eſt, continuo Veſpaſianus filius eum feriundum permiſiſſe cenſendus eſt ? An non nepotes Titus aut Domitianus idem præſtare poterant ? quæ hic, amabo, rei hujus repugnantia ? ſummam imo hujus deinceps tibi oſtendam convenientiam. Quid ? quod hoc loco oblitus videris notæ S. C. qua conſignatus eſt numus, quæque manifeſto indicat, haudquaquam Veſpaſiani juſſu, aut arbitrio, ſed publica Senatus autoritate ac conſulto numiſma procuſum ? Quippe compertum habes ex unanimi jam Antiquariorum conſenſu, atque etiam inferius *pag. 25.* confiteris, æris ſignandi, cudendique jus ac poteſtatem integram penes Senatum exſtitiſſe. Et certe temporum illorum conditioni valde conſentaneum fuiſſe

(*a.*) *Tacit. Hiſt. III.* 86.

videtur, ut, ubi (α) *rebellione trium Principum, & cæde incertum diu & quaſi vagum imperium ſuſcepit, firmavitque tandem gens Flavia*, ſenatus Romanus de adeo lætis, fortunatisque novi Principis primordiis ſibi populoque gratulatus, una ejusdem, unde oriundus erat, generis nobilitatem, ab veteribus illis Romanis tantopere expetitam & æſtimatam, quæque ſola in Veſpaſiano, reliquis dotibus omnibus inſtructo, deſideraretur, publico quopiam documento notam in vulgus, teſtatamque faceret: id quod, quum ex Veſpaſiani paterno, nempe novo, *obſcuro, nullisque majorum imaginibus* claro, minime confieri poſſet, ex materno denique Veſpaſiorum, *ab ſplendore & vetuſtate* plurimum conmendato genere, procuſo Veſpaſiæ Matris honoribus numiſmate, confecerit conprobaritque.

Sane, quanta tum apud univerſos, præſertim urbis primores, advenientis novi Principis Veſpaſiani fuerit exſpectatio atque amor, non aliunde certius diſcimus, quam ex FL. JOSEPHO, illis temporibus coævo, qui hac ſuper re ita ſcribit (β): *Τοιαύτης δ' εὐνοίας ἐξ ἁπάντων ὑπαρχούσης, τοῖς μὲν κατὰ τὰς ἀξιώσεις προὔχουσι τῶν ἀνδρῶν οὐκ ἔτ' ἀνεκτὸν ἦν ἀναμένειν ἀλλὰ πορρωτάτω τῆς Ῥώμης αὐτῷ προεντυχεῖν ἔσπευ-*

(α) *Sueton. in Veſpaſ. Cap. 1. initio.*
(β) *Joſeph. de Bell. Jud. VII. 4.*

δον· ἐμὲν ἐδὲ τῶν ἄλλων τὶς ἠνείχετο τῆς ἐντεύξεως τὴν ἀναβολὴν, ἀλλ' ἕτως ἐξεχέοντο πάντες ἀθρόοι, καὶ πᾶσιν εὐπορώτερον καὶ ῥᾷον ἐδόκει τῦ μένειν τὸ ἀπιέναι, ὡς καὶ τὴν πόλιν αὐτὴν τότε πρῶτον ἐν ἑαυτῇ λαβεῖν ὀλιγανθρωπίας αἴσθησιν ἡδεῖαν· ἦσαν γὰρ ἐλάττες τῶν ἀπιόντων οἱ μένοντες. *Quum antem tanta in eum omnium exſiſteret benevolentia, viris quidem, dignitate eminentioribus, non ultra toleranda erat ejusdem exſpectatio; ſed longiſſime ab Roma prius ſe obviam ei dare properabant. Neque tamen nllorum quisquam moram ejus conveniendi ferebat, ſed ita omnes confertis effundebantur agminibus, & univerſis expeditius ac facilius ire, quam manere videbatur, ut & ipſa urbs tum primum in ſe jucundam perſentiſceret hominum infrequentiam: nam qui manebant, pauciores erant abeuntibus.* Idem loco mox indicato luculenter quoque ſenatus Romani de Veſpaſiano exiſtimationem his verbis declarat: Τῆτε γὰρ βελῇ κατὰ μνήμην τῶν γεγενημένων ἐν ταῖς τῶν ἡγεμόνων μεταβολαῖς συμφορῶν, εὐκταῖον ἦν ἀπολαβεῖν ἡγεμόνα, γήρως σεμνότητι καὶ πράξεων ἀκμῇ πολεμικῶν κεκοσμημένον, ᾧ τὴν ὑπεροχὴν πρὸς μόνην ἠπίςαντο τὴν τῶν ἀρχομένων σωτηρίαν ἐσομένην. *Nam & ſenatus memor calamitatum, quas ex Principum mutatione adceperat, exoptabat ſuſcipere Imperatorem, ſenectutis gravitate, bellicorumque geſtorum gloria condecoratum, cujus eminentiam ſolum modo ſaluti ſubditis fore noverat.*

C 2

Cetera neque Suetonii autoritas te hoc loco ſatis tuetur, quippe fallax, & erronea: etenim Veſpaſianum neutiquam *ſero*, quod ille ait, *Tribunitiam Poteſtatem*, *&* *Patris Patriæ adpellationem*, verum quam mox primo, atque altero Imperii anno adcepiſſe numi teſtantur ſinceri, & conprobatæ vetuſtatis, totidem monumenta, certiora ipſis Hiſtoricorum manuſcriptis, publica, ſynchrona. Unus Inluſtriſſimus Comes Mediobarbus in ſuis Romanorum Imperatorum Numiſmatibus quaterna cum ejusmodi inſcriptione, atque adpellatione ſub primo & ſecundo Veſpaſiani imperantis anno exhibet; hunc Suetonii errorem quoque notavit Cl. Froelichius ὁ μακαρίτης (α).

Præterea qui tu mihi laudatam ab Suetonio Veſpaſiani *mediocritatem* ſat apte conciliaris cum ſumptuoſiſſimis ab eo, teſte eodem (β), exſtructis *operibus*, *Templo Pacis foro proximo*, *Divique Claudii in Coelio monte; item Amphitheatro urbe media?* Sane quale, quantumque opus fuerit Templum hoc Pacis, id nos doceant ſcriptores antiqui: miſſos enim hic facio numos, ejus pariter rei teſtes. Herodianus (γ) illud nuncupat: Μέγιςον, καὶ κάλλιςον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων, *operum cunctorum tota urbe maximum atque pul-*

(α) *Froelich. Tentam. I. p.* 20.
(β) *Sueton. in Veſpaſ. c.* 9.
(γ) *Herodian. L. I.*

Digitized by Google

cerrimum. Item: *Templorum omnium opulentiſſimum, multoque ornatum auro & argento.* In eamdem ſententiam PLINIUS (α) illud adpellat *pulcerrimum operum, quæ unquam.* Idem alibi (β) *Coronas*, ait, *ex cinnamomo interraſili auro incluſas primus omnium in Templis Capitolii atque Pacis dicavit Imp. Veſpaſianus Auguſtus.* Ab his minime diſſentit JOSEPHUS ſic loquens: (γ) *Magnis opibus largiter hanc in rem uſus, & priſcorum etiam præclara omnia adhibens, picturis & ſtatuis pulcerrimis illud*, Templum Pacis, *adornavit. Omnia namque in hoc Templum conlata, atque congeſta erant, quorum viſendorum ſtudio homines antea per totum terrarum orbem vagabantur, quo modo aliud apud alios ſe haberet, videre cupientes.* Ἀνέθηκε δ' ἐνταῦθα καὶ τὰ ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῶν Ἰουδαίων χρυσᾶ κατασκευάσματα, σεμνυνόμενος ἐπ' αὐτοῖς. *Repoſuit autem & ibi ex Judæorum Templo vaſa aurea, de iſtis* GLORIANS, & SESE EFFERENS. Audin' Veſpaſiani magnifice ſeſe extollentis modeſtiam & *mediocritatem?*

Porro qui tu, quod longe difficilius, eamdem hanc Veſpaſiani *mediocritatem* ac modeſtiam conciliaveris cum ſuperbiſſimo illo, quem de capta Judæa cum Tito filio (cui quidem uni, tamquam Hieroſolymorum expugnatori, Judææ everſori, atque belli Judaici confectori, id quod Cl.

(α) *Plin. XXVI.* 15. (β) *Id. XII.* 19.
(γ) *Joſ. De Bell. Jud. VII.* 5.

Vaillantius (α) quoque advertit, omnis ea pompa principe titulo debebatur) veluti ad ſe æquo jure pertinentem egerat triumphum? ſuper quo ipſe, *fatigatus* (β) *tarditate & tædio pompæ* conqueſtus erat: *merito ſe plecti*, inquiens, *qui triumphum quaſi aut debitum majoribus ſuis, aut ſperatum unquam ſibi tam* Inepte *ſenex concupiſſet*. Adeo ille ipſe, at ſub finem demum, ejus pompæ vanitatem & *ineptiam* agnoviſſe, condemnaſſeque videtur. Profecto inſolentiſſimum, atque omnium ad eum diem actorum triumphorum ſuperbiſſimum fuiſſe teſtatur Orosius (γ) his verbis: *Ubi Veſpaſianus & Titus Imperatores, magnificum agentes de judæis triumphum, urbem ingreſſi ſunt; pulcrum & ignotum ante cunctis mortalibus inter CCCXX. triumphos, qui a condita urbe uſque ad id tempus acti erant, hoc ſpectaculum fuit.*

Multo etiam his ampliora de illo conmemorat denuo Fl. Josephus ſcriptor ſynchronus, qui diligentiſſime Judaicarum rerum perſecutus eſt hiſtoriam, & quidem ſermonis lepore adeo conquiſito, ut D. Hieronymus eum *Livii Græci* nomine conpellet: Α'μήχανον δὲ, inquit ille, (δ) κατὰ τὴν ἀξίαν εἰπεῖν τῶν θεαμάτων ἐκείνων τὸ πλῆθος καὶ τὴν με-

(α) *Vaill. Num. Præſt. T. II. p.* 98.
(β) *Suet. in Veſp. c.* 12.
(γ) *Oroſ. Hiſtoriar. adverſ. gent. VII.* 9.
(δ) *Jos. de Bell. Jud. VII.* 5.

γαλοπρεπίαν ἐν ἅπασιν, ὅις ἄν τις ἐπινοήσειεν, ἢ τεχνῶν ἔργοις, ἢ πλέτε μέρεσιν, ἢ φύσεως σπανιότησι. χεδὸν γὰρ ὅσα τοῖς πώποτ᾽ ἀνθρώποις εὐδαιμονήσασιν ἐκτήθη κατὰ μέρος, ἄλλα παρ᾽ ἄλλοις θαυμαςὰ, καὶ πολυτελῆ, ταῦτ᾽ ἐπὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἀθρόα τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἔδειξε τὸ μέγεθος. Ἀργύρετε γὰρ καὶ χρυσε, καὶ ἐλέφαντος ἐν παντοίαις ἰδέαις κατασκευασμάτων ἦν ὁρᾷν, ἐχ ὥσπερ ἐν πομπῇ κομιζόμενον πλῆθος, ἀλλ᾽ ὡς ἂν εἴποι τις ῥέοντα ποταμόν. Noloreliqua, ne longior ſim, græce proferre, ſed omnia latine modo reddo: *Pro merito narrari multitudo ſpectaculorum, magnificentiaque non poteſt in omnibus, quæ quiſque aut artium egregiis factis, aut divitiarum oſtentatione, aut naturæ novitate excogitavit. Nam pene, quæcumque hominibus, qui uſquam ſunt, fortunatis paulatim obtigerunt, aliis alia mirabilia atque magnifica, hæc ſimul univerſa illa die Romani Imperii magnitudinem probaverunt. Etenim argenti, aurique, ac eboris in omni operum, machinarumque ſpecie multitudinem, non ut in pompa ferri cerneres; ſed quaſi ſi quis dixerit decurrentem fluvium: & alias quidem veſtes ex purpura rariſſima, alias vero conquiſitis picturis arte Babylonica variatas. Gemmæ etiam, aliæ quidem aureis coronis inſertæ, aliæ vero aliis operibus incluſæ, in medium tam magno numero adlatæ ſunt, ut hinc diſcere liceret, fruſtra nos earum aliquid rarum eſſe exiſtimaſſe. Quin & Deorum ſimulacra ferebantur, magnitudine apud ipſos mirabilia, & arte eximia elaborata: bo-*

rumque nihil, niſi quod ex pretioſa materia. Inſuper animalia diverſæ naturæ traducebantur, omnia ornamentis ſibi propriis induta. Erant autem quoque, qui ſingula portarent, homines multi, purpureis veſtibus atque inauratis ornati: quique ad pompam fuerant deſtinati, inſignem, & admirabilem ornamentorum magnificentiam præſeferebant. Præterea neque captivorum turbam cernere erat inornatam; ſed veſtium varietas, hujusque pulcritudo natam ex corporum fatigatione deformitatem oculis ſubtrahebat. Maximæ vero admirationi erat ferculorum, quæ portabantur, adparatus: nam vel propter magnitudinem de geſtationis firmitate metuebat, quicumque obcurreret. Multa quippe in tertium tabulatum, quartumque ſurrexerunt; atque magnificentia fabricæ delectationem adferebat una, ac ſtuporem incutiebat. In multis namque aurata erat veſtis amictus, & argentum, atque ebur adfabre elaboratum ſingulis erant adfixa.

Viſum eſt hæc fuſius referre, tum quod, qui hæc conſcripſit JOSEPHUS, ſuis eadem ipſe oculis uſurparit, tum quod veluti facem præferant, quo quis facilius ſuperbiſſimi ejus poſt natos homines triumphi pompam ac magnificentiam animo ſibi fingere queat. Age tu jam, & Veſpaſiani *mediocritatem* cum hoc triumphali faſtu conponito! Ut nihil jam dicam de ejuſdem avaritia, nihil de vanis honorum vocabulis, quæ ſuis inſcribi numis paſſus eſt: de his namque uberior

rior infra erit ediſſerendi campus. An non certius *mediocritatis* laudem ſibi aut conparaſſet, aut conſtabiliſſet Veſpaſianus, ſi, contempta triumphi pompa ac vanitate, ea ſerio ſecum ipſe reputaſſet argumenta, quæ alia Tullius (α) obcaſione Piſoni inludens ſubgeſſerat: *Quid tandem habet iſte currus? quid vincti ante currum duces? quid ſimulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania ſunt iſta, mihi crede, delectamenta pene puerorum, captare plauſus, vehi per urbem, conſpici velle, quibus ex rebus nihil eſt, quod ſolidum tenere poſſis.* Quid? quod laudatus aliquoties Joſephus teſtatur (β), eo inſuper vanitatis proceſſiſſe cum Tito Veſpaſianum, ut & per loca, alias ſpectaculis dumtaxat deſtinata, triumphalem pompam deduceret, ὅπως εἴη τοῖς πλήθεσιν ἡ θέα ῥᾴων. *Quo multitudini facilior foret adſpectus.* En inſolitam, & inmodicam hominibus ſeſe oſtentandi cupiditatem! Aliam profecto, multoque tutiorem, qua modeſtiæ, & mediocritatis famam conſequeretur, viam iniit Hadrianus Imperator, de quo Spartianus (γ) ſequens raræ in ambitioſis iis Principibus moderationis ſpecimen memoriæ prodidit: *Cum triumphum ei ſenatus, qui Trajano debitus erat,*

(α) *Cic. Orat. in Piſon.* 25.
(β) *Joſeph. de Bell. Jud. L. I.*
(γ) *Spartian. in Hadrian. c.* 6.

detuliſſet, recuſavit ipſe, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus Imperator ne poſt mortem quidem triumphi amitteret dignitatem.

At denique te ipſum jam triumphalis ejus magnificentiæ, an vanitatis? faſtidium atque ſatietas ceperit. Tranſibo itaque tecum ad examinandum Veſpaſiæ vultum: aniles tu in hoc deſideras rugas, quas quidem in numiſmate nullas adeſſe adſeveras. Sed neque juvenilem, quod tu dicis, vultum refert numus meus, cujus quidem ectypon ab ſcalptore, quantumvis tertium eapropter admonito ac conrecto, minus adcurate expreſſum ſi longe aliam, ac reapſe eſt, Pollæ meæ ſpeciem obtutui tuo objecit, illius, non mea id culpa adcidit. Intuere jam numiſmatis imaginem, opellæ huic præfixam, atque a meliore artifice multo majori cum arte fideque in æs inciſam, & *juvenilem* hic *pupam* aliquam mihi detege, cui jocularia illa ex MARTIALE *tatarum*, & *mammarum* agnomina ex vero adcommodare poſſis. Carmini, quod ex ejusdem *L. III. Epigr.* 88. ad *nitentis*, quem SUETONIUS vocat, Veſpaſiani vultum adplicas, ſequens ex illius *L. II. Epigr.* 87. de eodem Veſpaſiano addo:

Qui faciem ſub aqua, Phœbe, natantis habes.

Viden', ut tuum τὸ *nitentis* ex SUETONIO cum meo τῷ *natantis* ex MARTIALE belle congruat? Verum quid nugis iſtis

inmoramur ? Ut largiar tibi, juvenilem omnino Veſpaſiæ in numiſmate repræſentari faciem, tamen inde contra hujus integritatem & antiquitatem nihildum concluſeris. Habes rei hujus non tot, quin plura documenta atque ſpecimina in plerorumque recentioris ævi Principum numis, quorum ſexagenariorum eadem ſæpe, quæ vicenariorum, aut tricenariorum, oris lineamentorumque in monetis proſtat conformatio: ad inveſtigandam hujus adſerti veritatem haud opus habes alio, præterquam oculorum ipſorum teſtimonio, atque contuitu. At tamen ut uno velut ictu omnem hanc, ſi quæ ſit, ſubcidam difficultatem, utque tu majorem antiquorum in ejuſmodi commatibus excidendis adcurationem ne obtendas, ipſa adeo Inluſtriſſimi Baronis DE LA BASTIE pulcerrima verba, ex ejusdem, a te alibi (α) dilaudato in *Numariam P. Joberti Scientiam* Commentario (β) excerpta, & quidem, quo brevior ſim, integerrima fide latine converſa iſthic ſubjungo:

Pro modica, quam quis hauſerit ex tractatis antiquis numiſmatibus, notitia atque conſuetudine ignorare haud poteſt, eumdem crebro Principem, ſeu eumdem Imperatorem oris vultusque habitu parum congruo, ac valde diſſimili repræſentari uſque adeo, ut, niſi unum idemque inſcriptio referret nomen, binos

D 2

(α) *Epiſ. I. pag.* 9.
(β) *Tom. II. p.* 315.

ſæpenumero ejusdem Principis nummos binis ab invicem magnopere diſcrepantibus Principibus adtribueret. Iſthæc veritas præcipue elucescit in argenteis Getæ, & Severi Alexandri nummis: in prioris numiſmatibus jam forma admodum juvenis, jam barba adſatim hirſutus, virique quadragenario majoris viſitur vultus; quamquam Geta vivendo non adtigerat, niſi annum tertium ſupra viceſimum. Hujus teſtes & advocatos ipſe ego meo ex numophylacio quinos conſtituere poſſum Getæ numos, quorum ne uni quidem cum altero convenit; alius certe eumdem refert ſub ſpecie juvenis, vix ad viceſimum ætatis annum adcedentis, ubi e converſo alius ſpiſſa, beneque promiſſa ejus mentum obvolvit barba, eumque totius vultus exhibet habitum, qui ab ſexagenario recedat proxime.

Quod ad Severum Alexandrum adtinet (proſequitur laudatus Inluſtriſſimus Conmentator) *ſi quis adtente ipſius conſideret numiſmata, in his copiam deteget eorum, in quibus plane eadem hujus Imperatoris, quæ Elagabali, exſiſtit facies, adeo ut, absque inſcriptionis adminiculo, quisque dubio procul in errorem induceretur. Vidi præterea argenteum nummum Trajani Decii, vultu habituque juvenili, quamvis plerumque in numiſmatibus compareat ætatis ſat provectæ.* Argenteo huic æneum ex quatuor denis, quæ meo in Muſeo cuſtodio, ejusdem Imperatoris numiſmatibus liceat hic mihi adjungere; iſthoc Trajanum Decium inberbem, ſpecieque prodit juvenili, ubi

contra in reliquis barbatus, natuque grandis, qualis ſolet, & qualem tu quoque in I. ad me *Epiſtola* exhibes, conſpicitur. *Adeo* (ad rem prorſus adpoſite concludit Vir ille Doctiſſimus) *nibil ſolidi ſtatui, conficique poteſt ſuper ætatis, oriſque lineamentorum diverſitate, quæ in vultibus monetali opere effictis adparet.* Audiſtin', quam levis, aut nullius potius ponderis ſint argumenta, ex diverſa oris lineamentorumque conpoſitione deſumpta? Ita ſane meis in numiſmatibus bina numero Domitiæ inſcripta, diverſiſſimi utrumque vultus: alia pariter bina Marcianæ conſecrationem exhibentia, vultus quoque habitu admodum diſparili. Ita ex ſeptenis, quos adſervo, Sabinæ numis quaterni formam oris referunt inpendio diſcrepantem. Præterea Lucillæ, Fauſtinæ, aliarumque numiſmata, quæ quamquam quoad inſcriptionem, metallique ſpeciem ac fabricam ſibi ſunt æqualia, minime tamen inter ſe conveniunt quoad lineamentorum conformationem.

His jam ultra quod addam, neceſſe non habeo: interea tamen, ne quid prætermiſiſſe videar, iſtis velut cumulum exemplo plane gemino addo binas totidem Auguſtorum, nempe Agrippinam Caji, & Agrippinam Neronis, Matres: in iſtarum tu mihi numis aut rugas, aut formam, quæſo, exhibe ſenilem! cur igitur rugas, cur ſenectam in ſola Veſpaſiani Matre requiris? At illas dices ætate media, annis-

que non admodum graves diem obiiſſe. Verum hanc, Veſpaſiam puta, unde, ex quonam ſcriptore antiquo, ex quo monumento vetere tu mihi eviceris rugoſam aut annoſam? Adde, hujus forte effigiem tum, quum ætate adhucdum florebat, vigebatque, id quod hodieque in nobilium præſertim feminarum imaginibus fieri ſolet, ab Apelle quodam coloribus, pigmentisque expreſſam; vel a Phidia aliquo in marmor aut æs inciſam; atque ab hac adeo ipſa Triumvirum, ſive coelatorem monetarium typarii ſui formam mutuatum fuiſſe. Quid hic abſurdum, quid cernis abſonum? Cetera da mihi eum ex antiquis ſcalptorem, qui omnes etiam minimos lineamentorum apiculos, qui ſubtiliſſimos rugarum ſulcos, vix oculis conſpicuos, tenuiſſimaque pilorum ſtamina in exili æris fruſtulo ad numerum, ad nativam expreſſerit, reddideritque formam: atque eſto, expreſſerit licet; num temporis edax dens per continuam decem & ſeptem ſeculorum ſeriem nihil quidquam inde detriverit? En! ad quas aniles rugas, an nugas? delapſi ſumus, ut ſi lis nobis foret ſimilis illi, qua quis diſceptet: utrum Aeneas, in Italiam adpulſus, primum dextro, an pede lævo terram tetigerit?

Age igitur, relictis his nucibus, aliam excutiamus quercum! Revocatam ajo Veſpaſiæ mortuæ memoriam. Ecce tibi uno hoc ictu proſtratam, everſamque omnem illam futilem de rugis, ſenioque contentionem! ſed tu contra: *Arbi-*

tror, ais, *aviæ Tertullæ potius æternitati conſulturum fuiſſe Veſpaſianum, a qua in prædiis Coſanis educatus erat, matre, ut videtur, minus ſolicita, & amante, cum teſte* SUETONIO *eum identidem anteambulonem fratris adpellaret.* Quin obpono ego, ex hoc eodem SUETONII loco (α.) plane fieri apertum, matrem de Veſpaſiano ut quam maxime fuiſſe *ſolicitam.* Audiamus modo totum orationis, quam tu conſulto mutilaſſe videris, contextum: *ſumta toga virili, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu averſatus eſt: nec ut tandem adpeteret,* COMPELLI *niſi a Matre potuit. Ea demum extudit magis* CONVITIO, *quam* PRECIBUS *vel* AUTORITATE, *dum eum identidem per* CONTUMELIAM *anteambulonem fratris adpellat.* An ea tibi Mater de filii honore *minus ſolicita* videtur, quæ, ubi *preces*, ubi *autoritatem* necquidquam profutura animadvertit, ipſis adeo *convitiis*, *contumeliarumque* aculeis filium urget, atque *compellit* ad congrua dignitatis, honorisque inſignia adſumenda?

Verum enim vero *Aviæ memoriam tantopere dilexit, ut ſolennibus ac feſtis diebus pocillo quoque ejus argenteo potare perſeveraverit.* (β). Quam connexa ſententia, proſequeris tu, hic addidiſſet Hiſtoricus: *matrem vero exemplo Caji etiam numo ejus honori ſignato honoravit.* Quam connexo potius ora-

(α) *Sueton. in Veſpas. c.* 2.
(β) *Id. ibid.*

Digitized by Google

tionis filo, excipio ego, hic addidiſſet Hiſtoricus: eidem, ſcilicet aviæ, exemplo Caji etiam maximos honores decernendos, & numum ſignandum curavit; quum enim minime de matris, ſed de aviæ dumtaxat amore, quo hujus memoriam proſecutus erat Veſpaſianus, mentionem hoc loco faciat SUETONIUS, non, niſi inportune rupto filo, ſermonem ad matrem detorſiſſet. Cetera quid mirum, *quod educatus ſub paterna Avia Tertulla* (α) hanc tantopere dilexerit, quum quoque & loco incunabulorum ſic adficeretur, ut eum *aſſidue* (β) *frequentaret, manente villa, qualis fuerat olim: ne quid ſcilicet oculorum conſuetudini deperiret.* Nempe primæ, quæ mollibus puerorum cerebris, animisque inprimuntur, rerum imagines atque adfectiones, & inſident firmiſſime, & earumdem recordatio nunquam non adcidit jucundiſſima!

Sed cur aviæ tantopere dilectæ nomen metallo ad inmortalitatem non conſecravit? Itane vero? tu hic non dubitas *inpium* facere Veſpaſianum, qui aviæ paternæ (de hac namque hic ſermo) nimirum *obſcuro genere* ortæ, publicum præcipui honoris monumentum, ut puta numum feriundum decreverit, priſtinæ ſuæ, abs te cum SUETONIO tantopere ſuperius dilaudatæ, *mediocritatis* oblitus? Veſpaſianum, inquam,

eum

(α.) *Id. Ibid.*
(β. *Id. l. l.*

Digitized by Google

eum, quem paulo ante ob numum Matris, licet ex *ſplendidiſſima* ac *vetuſtiſſima Veſpaſiorum* gente prognatæ, honori ſignatum, *inpium facere* verebare? Sed omnis, ſi quæ ſit, hæc difficultas penitus conruit, Pollæ numiſmate nec Veſpaſiani, ut ſupra jam innui, juſſu, neque autoritate percuſſo.

At cur, urges, de ſignato hoc numo nihil quidquam in tabulis adnotatum invenitur? aut cur numum, qui ſub Trajano vixit TRANQUILLUS, videre autem debuerat, vel non vidit, vel non recenſuit? ſi modo illa, quorum in antiquis tabulis aut codicibus ſit mentio, numiſmata in ſincerorum ac genuinorum loco cenſere velis, VIR PLURIMUM REVERENDE, quot nobis ex univerſo antiquorum, qui, ſecundum Inluſtriſſimi Baronis DE LA BASTIE conputum, quinquagies ſuperat milleſimum, notorum, atque uſque huc conpertorum numorum numero reliqua forent probatæ, teſtatæque integritatis numiſmata? quot fors tibi ipſi, & in his cariſſima quæpiam, quæ tuo in Muſeo ut totidem ocellos cuſtodis, in conmentitiorum, aut ſaltem dubiorum cenſum rejicienda eſſent? An neſcis, ipſam Hiſtoriam (id quod Cl. P. JOBERTUS (α) quoque teſtatur) ſæpenumero a numis, quippe fidiſſimis, omniſque doli expertibus teſtibus, fidem atque autoritatem mutuari debere? *Nova nempe*, huic ſub-

E

(α) *P. Jobert la Science des Méd. Inſtr. V.*

fragatus dicit Cl. FROELICHIUS tuus ὁ μακαρίτης (α), *ſubſidia e numis adhuc hiſtoria præſtolatur.*

Et ſane mille eventuum, de quibus altum in hiſtoricis Commentariis ſilentium, cognitio nos deſtitueret, niſi de illis numi, hiſtoricorum vice perfuncti, omni adcuratius ſcriptore certiores nos redderent. An non enim hodieque ignoraremus, filium Antonino ex Fauſtina procreatum, atque Marcum Annium Galerium Antoninum nominatum fuiſſe, abſque teſtimonio æneі mediæ formæ numi Græci, quem rariſſimum Cl. PATINUS (β) prodidit? Eadem ratione Veſpaſiani Aug. filius ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΝΕΩΤΕΡΟΣ *Veſpaſianus junior* ex Smyrnæorum numiſmate ab Harduino prolatus eſt. In *æterna* fortaſſe *pace* (poſterior quippe numiſmatis area hanc continet inſcriptionem: PAX AETERNA) quieſceret Pacatiani Imperatoris nomen, niſi numum hujus argenteum rariſſimum vulgaſſet P. Chamillardus (γ). Unde, niſi itidem e numis, conperiſſemus, ab Veſpaſiano Veſtæ, & ab Antonino Pio D. Auguſti Templum fuiſſe reſtitutum, uti erudite conjecere Cl. Cl. MEDIOBARBUS, & VAILLANTIUS? Sic ex numiſmatibus quoque palam eſt, Salluſtiam Barbiam Orbianam (cujus bina elegantiſſima numiſmata meo ſervo

(α) *Frœlich. Tent. I. p.* 15.
(β) *Patin. Impp. Rom. Numiſm. pag.* 186.
(γ) *P. Chamillard. Epiſt. A.* 1701. *impreſſa.*

Digitized by Google

in Muſeo) Severi Alexandri, atque Herenniam Etruſcillam, de qua antehac diu addubitatum fuit, Trajani Decii uxorem fuiſſe, id quod a Cl. Seguino (α) in Epiſtola, *Octavio Falconierio* inſcripta, ſolido argumentorum robore conſtabilitum eſt. Marcianam præterea Trajani ſororem, ejuſque filiam fuiſſe Matidiam, ex ſimilibus numorum monumentis innotuit. Sic Gnea Cornelia Supera, non niſi a numis nota, a Vaillantio, & Comite Mediobarbo Valeriani junioris conjunx declarata eſt. Tranquillinam, Gordiani Pii uxorem, *Furiam Sabinam* conpellatam eſſe, numiſmata prodiderunt.

Si itaque Pollæ conſignatus fuit in ære numus, cur Tranquillus, rogitas iterum, *illum non vidit, quem tamen videre debuerat*? quid tu iſthic inquis, *videre debuerat*? num tu, num ego, num alius quisquam cunctos ac ſingulos noſtrorum, qui noſtra, aut patrum noſtrorum memoria vixere, Principum numos, pro varia temporum, ſeu eventuum conditione varios ſignatos, cuſosque vidimus, vel videre debuimus? Atqui vidit, ajo, Pollæ numiſma Suetonius. Eccur ergo illius non meminit? At, amabo, cur idem non meminit aliorum numiſmatum, ipſius Veſpaſiani honori cum ſingulari quadam tituli prærogativa percuſſorum,

E 2

(α) *Seguin. Sel. Numiſm. p. 287. ſeqq.*

qualia ſunt ea, in quibus Veſpaſianus adpellatur AUGUR TRI. POT., quum tamen hoc nomen, teſte FROELICHIO (α), in aliorum Auguſtorum ære ſignato vix deprehendatur? Cur nullam infert mentionem numorum ejuſdem Veſpaſiani, ac filiorum Titi, & Domitiani cum *Cenſoris* titulo, quem, adteſtante denuo laudato mox FROELICHIO (β), ſoli hi tres Auguſti (& Domitianus inſuper, quod refert P. JOBERTUS (γ), *ſe fit* CENSOR PERPETUUS, *ſans que depuis lui on puiſſe jamais rencontrer cette qualité ſur les Médailles, ſe creavit Cenſorem perpetuum, quin hanc prærogativam in ullis poſt ipſum numis reperire ſit*) in veteri metallo uſurpavere, quamvis cenſoriam quidem poteſtatem Auguſtus, & ejus in imperio ſubceſſores ſuſceperint.

Et cur ille idem Domitillæ, cur Juliæ Titi filiæ, cur Domitiæ, cur filii, Domitiano ex hac eadem Domitia procreati, confecratique, ac cum aliis e gente Flavia inter ſidera conlocati, numos ſubticet? ubi tamen horum ultimi STATIUS (δ) meminit in Domitiani gratiam:

Huc & ſub nocte ſilenti,
Cum ſuperis terrena placent, tua turba relicto

(α) *Froelich. Tent. I. pag.* 21.
(β) *Id. ibid. p.* 22.
(γ) *P. Jobert. Inſtr. VI.*
(δ) *Stat. Papin. Sylv. I.*

Labetur cœlo, miſcebitque oſcula juxta.
Ibit in amplexus NATUS, *fraterque Paterque,*
Et ſoror; una locum cervix dabit omnibus ASTRIS.

MARTIALIS quoque de eodem canit (α):

Templa Deis, mores populis dedit, otia ferro,
Aſtra ſuis, cœlo SIDERA, *ſerta Jovi.*

Hoc ipſum numiſma exhibet VAILLANTIUS (β), in quo viſitur *infans globo inſidens, circumdatus ſtellis.*

Cur denique conplura alia ſilentio involvit numiſmata, quæ tamen, quippe in currentis monetæ uſum ſignata, ſibique coæva, atque aliis ſub idem tempus conſpecta, videre debuerat TRANQUILLUS? An tu fors omnia hæc ob SUETONII ſilentium ſubleſtæ fidei argues, aut adulterina pronuntiabis?

Simili fere argumentandi genere uſi ſunt, qui ſeculo ſuperiore *Othones æreos* exſiſtere, id quod jam hodiernorum nullus Antiquariorum in controverſiam vocat, acriter non minus, atque audacter negarunt. Ipſa adeo, alias literatiſſima Suecorum CHRISTINA, regni perinde ac ſexus ſui Or-

(α) *Martial. L. IX. Epigr.* 104.
(β) *Vaillant. Num. Præſt. T. II. p.* 111.

namentum, teſte CHIFFLETIO (α) (qui, uti tu modo Epiſtolam contra æneam Veſpaſiam meam, ita olim integram in *Othones æreos* Diſſertationem exitu infauſto, conatibusque literariis minime reſpondente conſcripſerat) quum inaudiſſet, adlatum e Germania Sereniſſimo Archiduci LEOPOLDO GUILIELMO Belgarum Proregi *Othonem æneum*, in hæc verba prorupit: *qui æreum Othonem repererit antiquum, Philoſophicum lapidem invenerit.* Pol! beatos hodie *Alchymiſtas*, ſi cum altero alterum hujus ſententiæ membrum æquali nexu conjunctum foret! AENEAS VICUS *Parmenſis*, Antiquariorum Primipilus ait (β): *Di Othone non dico, la cui effigie niuno, ſenza ſuo inganno, ſi vanta aver veduta ſtampata in rame. De Othone nihil dico, cujus effigiem nemo citra proprium errorem jactat ſe vidiſſe æri impreſſam.* Idem alio loco (γ) repetit: *Le Medaglie di Othone in argento, ed in oro ſono tutte rare; ma di rame ſin qui non ne ho veduta alcuna antica, nè parlando con vecchi Profeſſori di queſte coſe, in tutta Italia non ho ancor trovato uno, che veduto ne abbia: ma ſi ben di ſinte aſſai. Numiſmata Othonis argentea, & aurea omnia ſunt rara; ſed antiquum nullum hactenus vidi æreum; neque agendo cum ſenibus rerum antiquarum Præceptoribus vel unum per totam Italiam nanciſci mihi licuit, qui vidiſſet; ſed adulterata complura.*

(α) *Chifflet. Diſſert. de Othon. Æreis. c.* 2.
(β) *Diſcorſi di Enea Vico. c.* 6.
(γ) *Ibid. cap.* 18.

Digitized by Google

Nullum, ratiocinando concludit loco ante indicato Chiffletius, *Adolphus Occo refert, ille ſedulus ſcriniorum in Germania ſcrutator: nullum Joannes Triſtanus, qui in hoc ſtudio conſumpſit ætatem: nullum Franciſcus Angelonus, numiſmatum nuperus editor. Pol, iſti cum non loquuntur, conſentiunt!*

At enimvero quid ex omnium horum, doctiſſimorum licet, Scriptorum ſilentio Chiffletius, quid ex oculatorum teſtium inopia Vicus effecere contra æneos Othonis numos, quorum in præſens conperta, explorataque eſt integritas, atque antiquitas? Quid tu denique, VIR EXIMIE, ex unius Tranquilli reticentia in Pollæ meæ numiſma decernes? Tu adeo ipſe *Epiſt. tuæ pag.* 33. tueris te autoritate numi Antonini Pii, *qui numus*, tua ſunt verba, *Hiſtoricorum aut negligentiam, aut temporis injurias, quibus Codices ſunt abſumpti, ſupplet.* Nempe ficulneorum inſtar gladiorum ſunt argumenta, ab uno Scriptorum ſilentio, vel ab antiquorum monumentorum jejunitate repetita, præſertim ubi habetur vel *unicus* ſinceræ antiquitatis *numus*! Talis profecto erat Othonis *æreus maximi moduli*, quem Vaillantio in Italia inſpectare, verſareque licuit. Similiter *unicus* eſt Anniæ Fauſtinæ *argenteus*, quem in *D. Abb. de Rothelin* Cimeliarchio cuſtodiri teſtatur Inl. Baro de la Bastie. His jure meritoque ad-

Digitized by Google

cenſeri poſſunt ſingulares duo meo ex Muſeo Peſcennii Nigri numi, græcus alter, alter latinus, uterque æneus. *

DIVAE jam titulum meo in numiſmate, quippe Veſpaſiæ memoriæ poſt obitum conſignato, requiris? Obcupas, quæ tibi jure objicere poteram, exempla tum Agrippinæ Germanici, tum etiam Agrippinæ Neronis, tum Domitiæ, atque aliarum Feminarum Auguſtalium, in quarum numis, licet ab earum morte filiorum autoritate percuſſis, nulla pariter conparet DIVAE conpellatio. Obcupas, inquam, obtrudendo mihi Matris nomen, quod in illarum numiſmatibus non una litera M. ſed MAT. tribus ſaltem elementis ſcalptum legi, contra in meo ne ſpatium quidem reperire ais. Id cujuſquemodi argumentum ut primo mox ortu jugularem, imperio tuo ad literam obſecundans, plumbeum continuo ſtylum adripui, atque ſervatis intervallis, & literarum æquali dimenſione inſcripſi P. ut VES. conpleretur; adjeci AUG. tum tandem intruſi MAT. Id quod ut e re mihi ceſſerit, teſtem jam & arbitrum adpello univerſum Inluſtrium Antiquariorum Senatum, quorum gratia *ſecundam* numiſmatis mei *iconem*, fronti hujus *Diſſertationis* præfixam, quæ illud cum inte-

(*) *Hos ambos integerrimæ fidei, & quam optime conſervatos numos ipſe ego, qui hanc Apologiam nomine & auſpicio Inluſtris HAVERI conſcripſi, haud abſque voluptate in pretioſiſſimo Ejuſdem Muſeo hic Vindobonæ repetitis vicibus contrectavi, atque verſavi.*

integro limbo, quale nimirum in primo ortu ſuo erat, abſque detrimentis, ſubinde a vetuſtate captis, exhibet, a perito ejus generis ſcalptore *Mansfeldo* integerrima fide nativam ſecundum formam depingi, atque in æs incidi feci, uti hoc pacto ipſorum oculorum judicio res omnis decernenda permitteretur; paratus quoque ipſum æneum, qualis meo in Muſeo exſtat, numum cujuscumque, qui petierit, conſpectui atque indagini ſiſtere. Viden' jam, qui Nævii, ut ais, ſilicem feliciter ſecuerim, ac certum, quod putabas, *adulterationis* ſeu *νοθείας* argumentum everterim? Itaque jure a te, VIR PRÆSTANTISSIME, nunc poſtulare auſim, ut ſin minus pro vetere tua in me propenſione, certe pro ſententiæ tuæ propriæ æquitate, proque prompto, quo imperata tua exſecutus ſum, ſtudio non mihi, at Veritati des manus, ſeu adſenſum potius tuum, meumque ab omni jam *adulterationis* ignominia juxta proprium effatum tuum abſolvas numiſma.

Redis tu ad DIVAE titulum in Agrippinæ Germanici moneta omiſſum; propoſitum enim tibi, inquis, numiſma confictum ita deartuare, ut murænam exoſſaverunt coci. Mihi vero deliberatum eſt, vel ipſos, quemadmodum mox principio promiſeram, tuarum contra Veſpaſiæ meæ monetam argutiarum apices calamo ſic inſectari, ut Veſpaſiæ nepos Domitianus, teſte SVETONIO, *muſcas ſtylo præacuto cap-*

tavit, atque confixit. Dicis, nullum certæ γνησιότητος æneum Agrippinæ exſiſtere numum, in quo DIVAE compellatio abſit. Mirarer, tua memoria hic excidiſſe numiſma indubitatæ antiquitatis æreum, quod Inluſt. Mediobarbus (a) ex Cl. Spanhemio producit, ubi in averſa parte *Porticus cum figura muliebri* conſpicitur; adverſæ autem hæc legitur inſcriptio:

AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI.

Abſque ullo *DIVAE* ornamento: mirarer, inquam, niſi tu ipſe quam mox erroris memor eum conrigere ac purgare adnitereris dicendo: *Abeſt in ejus generis DIVAE titulus: verum an non ſatis compenſatur per averſæ epigraphen: MEMORIAE AGRIPPINAE tum per typum Carpenti a mulis vecti?* Atqui viden', ut denuo in vado adhæreſcas una cum Carpento tuo? ubi namque, cedo, in numo mox indicato aut *Epigraphe* antedicta, aut *mulorum* typus? Sed plura jam aliarum quoque feminarum Auguſtæ familiæ numiſmata adductum eo, ſimul deſervitura ad convellendum id, quod hoc loco ſubjicis, nempe: *Ea enim vero uſque ad Marcianam Trajani ſororem ratione* (ſcilicet *Epigraphe* memorata, aut *typo Carpenti a mulis vecti*) *ſenatus Romanus, cui æris ſignandi po-*

(a) *Mediobarb. Impp. Rom. Numiſm. fol.* 75.

teſtas permiſſa, CONSECRATIONES FEMINARUM AUGUSTÆ FAMILIÆ *publica in moneta ſolebat fingere.*

Ut alia Liviæ Auguſtæ conſecratæ numiſmata prætercam, unum hic ſiſto æneum ex Inl. MEDIOBARBO (α); in hoc ſequens legitur inſcriptio: DIVA. LIVIA. DIVI. AVGVSTI. CONSECRATIO. S.C. & repræſentatur figura *Pavonis*: atque adeo, quamvis hic numus publicam ſenatus autoritatem præſeferat, tamen in eo nec adeſt *Epigraphe* indicata, neque *Carpentum mularum*. Addit doctiſſimus MEDIOBARBUS loco laudato: *Ut animas Impp. ab aquila Jovis alite in cælos delatas credidit Antiquitas, ſic* AUGUSTARUM a PAVONE *Junonis avi eo deductas aſſeruit: unde in numis* PAVO SOLUS CONSECRATIONEM AUGUSTÆ *deſignat.* Eamdem in ſententiam Cl. FROELICHIUS *Pavonem* dicit (β) *perpetuum*, *propriumque* MULIEBRIS CONSECRATIONIS *ſymbolum*; ubi etiam argenteum Fauſtinæ ſenioris numiſma, a VAILLANTIO in rarioribus numeratum, numis veterum Monetariorum culpa vitioſis adcenſet propterea, quod cum Epigraphe CONSECRATIO. aquilam exhibet: *Neque enim*, ibidem concludit hic Vir veterum peculii peritiſſimus, *conſtans ille ſincerorum numiſmatum conſenſus in aliquo perturbari uno, & altero adulterinæ monetæ teſtimonio citra injuriam poteſt.*

F 2

(α) *Mediob. Lib. I. fol.* 53.
(β) *Froelich. IV. Tent. p.* 402. *& ſeq.*

Digitized by Google

Conmemorandi præterea hoc loco veniunt ex laudato Inl. Mediobarbo (α) terni ahenei numi Druſillæ, a Cajo Cæſ. fratre poſt mortem conſecratæ, in quorum pariter nullo ante adductam ſeu *Epigraphen*, ſeu *Carpenti* figuram cernere eſt. His merito adcedat meo ex Cimeliarchio ante dictæ Agrippinæ Germanici moneta ænea cum inſcripta poſticæ S. C. nota, abſque ullo tamen DIVAE titulo, aut MEMORIAE epigraphe, aut alio quopiam *Conſecrationis δείγματι.* Iſthoc hic numiſma teſtem produco hoc confidentius, quod ſcio, idem ipſum, ex ære Corinthiaco effictum, ac perbelle conſervatum, abs te, quum meum cenſoriis oculis tuis Numophylacium perluſtrares, inter alia conſpectum, & conlaudatum fuiſſe: cujus proinde rei memoriam minime te hoc loco abjicere, aut negligere oportebat.

Verum tu tertium ad Agrippinæ numiſmata, velut ad cramben recoctam, reverteris, atque conminiſceris, id a me objectari, quod quidem, quippe a quæſtione noſtra prorſus alienum, ne in mentem quidem mihi venire poterat, videlicet: *In pretioſiore metallo*, nempe auro & argento, *Agrippinæ omiſſum Conſecrationis qualecumque teſtimonium;* quum tamen omnis contentio noſtra in ære ſolummodo ver-

(α) *Mediobarb. L. l. f.* 80.

ſetur. Ad diluendam inſuper hanc extra ſcopum adfictam mihi objectationem argumento uteris adeo caduco atque incerto, ut præ te, lugubri licet in materia, jocantis ſpeciem feras. *Arbitror*, ais, *DIVAE compellationem in numis, juſſu Filii ſtatis, illius imperio a III. viris omiſſam, ne acerba matris mortuæ recordatio in animum rediret.* Subin relata funebri ex SUETONIO pompa, qua confeſtim imperii initio Cajus matris, fratriſque cineres ex Pandateria, & Pontiis Romam tranſtulit, hunc in modum exclamas: *Quid niſi tenerrima amoris ſigna hic vides, altumque vulnus, quod vix cicatricem duxit?* Quodnam tu hic *recens*, cui vixdum obducta cicatrix, exiſtimas *vulnus*? num ex morte matris adceptum? at hæc integro ante quadriennio evenit, quam Cajus imperii habenas capeſſeret: nam Agrippina Caji mater, teſte Tacito (α), *Ser. Sulp. Galba, L. Cor. Sulla. Coſſ.*, atque adeo *A. V. C. 786. XV. Kal. Novembris* inedia voluntaria extincta eſt; Cajus vero imperare cœpit *Coſſ. Cn. Acerronio Proculo, & C. Pontio Nigrino A. V. C. 790.* atque adeo quadriennio poſt matris deceſſum. Ubi igitur hic luctus, dolor, *vulnus recens*? num fors ex tranſlatis recens matris cineribus? atqui ipſe, quem adducis, SUETONIUS dumtaxat *pietatis, venerationis, religionis* Caji hoc loco meminit, ne verbulo quidem luctus, aut doloris inlato.

(α) *Tacit. Annal. VI. 25.*

At largiar etiam, in Caji animo funeſtæ ejus ſcenæ obcaſione triſtitiæ vulnus recruduiſſe. Eapropter DIVAE conpellationem in matris numis omitti juſſerit? Noſtin' DIVAE vocabulum, numis adpoſitum, Romanis perinde ſignificaſſe, ac quod *Conſecrata*, ſeu *in Dearum numerum relata*, quod tantum abeſt, ut triſte, aut funeſtum quid portenderet, ut potius ſummi *honoris*, *religionis*, atque *gratulationis* argumentum exſiſteret; quum apud Romanos nihil tam ſolenne ac feſtivum fuerit, quam dies & pompa *Conſecrationis*, ſeu ἀποθεώσεως? Ita ſane VELLEJUS PATERCULUS (*a*): *Sacravit*, inquit, *parentem ſuum Cæſar Tiberius, non imperio, ſed* RELIGIONE; *non adpellavit, ſed fecit Deum.* Ita PLINIUS (β) ad Trajanum: *Quem tu Nervam lacrymis primum ita, ut filium decuit, mox templis* HONESTASTI, *non imitatus illos, qui hoc idem, ſed alia mente fecerunt. Dicavit Cœlo Tiberius Auguſtum, ſed ut Majeſtatis Numen induceret: Claudium Nero, ſed ut irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum, ſed ille, ut Dei filius, hic ut frater videretur.* Sic CAPITOLINUS (γ) de Antonini Philoſophi Conjuge Fauſtina: *DIVAM etiam Fauſtinam a ſenatu adpellatam* GRATULATUS EST Antoninus. In eamdem ſententiam canit STA-

(α) *Vell. Paterc. Hiſt. Rom. Lib. II.*
(β) *Plin. in Paneg.*
(γ) *Jul. Capitol. c. 26.*

TIUS (*a*) de Polla, Lucanum maritum defunctum adorante, licet non ſub ficta Bacchi, alteriusve Numinis figura, uti tum mos ferebat:

Hæc te non thyaſis procax, doloſa
Falſi numinis induit figura;
Ipſum ſed COLIT, *& frequentat ipſum,*
Imis altius inſitum medullis:
Ac ſolatia vana ſubminiſtrat
Vultus, qui, ſimili notatus auro,
Stratis prænitet, incubatque ſomno.
. . . .
Quicquid fleverat ante, nunc ADORAT.

Nihilominus *Vota*, objectas, *pro Conſecrationis dilatione concepta;* teſtimonium depromis ex MARTIALIS *L. VIII. Epigr. 39.*

Eſſe velis, oro, ſerus conviva Tonantis.

Sed quis hic non intelligat, mortis potius, quam Conſecrationis dilationem optari exemplo noſtro, qui, ut quisque nobis inmortalis vitæ delicias quam quod maxime cupiamus, ne-

(*a*) *Stat. Sylv. II.* 124. 134.

Digitized by Google

mini tamen alteri celerem hac ex vita exceſſum earum potiundarum ergo adprecari conſuevimus ? En aliud ex eodem MARTIALE (α)Carmen ad inluſtrandam hanc ſententiam meam oppido oportunum:

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formoſior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus & puellæ:
Quinquageſima liba, ſeptimamque
Veſtris addimus hanc focis acerram;
Hic vos, ſi tamen expedit, roganti
Annos addite ter, precor, novenos!
Ut nondum nimia piger ſenecta,
Sed VITÆ TRIBUS AUREIS PERACTIS,
LUCOS ELYSIÆ *petam* PUELLÆ.
Poſt hæc tempora nec DIEM *rogabo.*

Viden', ut non niſi poſt longævam vitam, vegetamque ſenectam *Lucos Elyſios petere*, id eſt, *mori* expetat MARTIALIS ? nempe quinque & ſeptuaginta annis exactis: totidem enim denariis æſtimabantur *tres aurei* Romani. DIO (β): *Χρυσοῦν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα, τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον, κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω. Aureum ego equidem* numiſma

(α) *Martial. L. X. Epigr.* 24.
(β) *Dio. L. V. p.* 556.

numiſma id, quod quinque & viginti denarios valet, populari nomine voco.

Interea cur, cedo, ſola & una DIVAE, alioquin honorificentiſſima, conpellatio, non tam *mortuæ*, quam *conſecratæ* matris index, plus Caji animum ferire potis erat, atque ipſa ejusdem imago, quam averſæ ſuorum ipſius numiſmatum parti adpingendam curavit? Quod ſi DIVAE vocabulum pari ratione, qua *crucula*, quam conmemoras, in parentum noſtrorum *epitaphio imminens*, triſtem mortis imaginem repræſentet, minime diſparili uſus cenſeri poteras conparatione.

Ceterum an tu Cajo animum usque adeo facilem, atque ad lenitatem, dolorisque ſenſa exiſtimas fuiſſe proclivem, ut vel una, matris mortuæ memoriam refricans, vocula eidem foret conmovendo ac percellendo? ſi quidem, quem pro te laudas, conſulo SUETONIUM; multo diverſam in Cajo deprehendo animi indolem, nimirum inſignem parentum, majorumque contemptum ac inſectationem, ſummamque *ingenii ſævitiam*. Audi TRANQUILLUM ipſum (α): *Prædicabat Matrem ſuam ex inceſto, quod Auguſtus cum Julia Filia conmiſiſſet, procreatam; ac non contentus hac Auguſti*

G

(α) *Suetom. in Caj. c.* 23.

inſectatione, Actiacas, Siculasque Victorias, ut funeſtas populo Rom. & calamitoſas vetuit ſolemnibus feriis celebrari. Liviam Auguſtam proaviam, Vlyſſem ſtolatum identidem adpellans, etiam ignobilitatis quadam ad Senatum epiſtola arguere auſus eſt, quaſi materno avo decurione Fundano ortam . . . . Aviæ Antoniæ ſecretum petenti denegavit . . . nec defunctæ ullum honorem habuit, proſpexitque e triclinio ardentem rogum. Fratrem Tiberium inopinantem repente inmiſſo tribuno militum interemit. Silanum item ſocerum ad necem, ſecandasque novacula fauces compulit. Et paulo poſt (α): *Leve ac frigidum ſit his addere, quo propinquos, amicosque pacto tractaverit, Ptolomæum regis Jubæ filium conſobrinum ſuum (erat enim & is M. Antonii ex Selena filia nepos) & in primis ipſum Macronem, ipſam Enniam adjutores imperii: quibus omnibus pro neceſſitudinis jure, proque meritorum gratia cruenta mors perſoluta eſt.* Audiſtin' tenerum, piumque in parentes ac propinquos Caji animum? Perinde ſiniſtro ac incerto, quod quidem ipſe ſubverebare, ſubceſſu tu hic *venam Caji tentaſti*, ac ſupra Veſpaſiani ingenium.

Diu hactenus multumque diſſeruimus ſuper *Conſecratione*. Iſtis enim inmoratus eram conſulto, ne tibi quidquam debere videar, etſi cuncta, quæ adhuc de ἀποθεώτει in

(α) *Idem in eod. c.* 26.

medium adlata fuere, minus propoſitum in argumentum conveniunt. Quippe falſo tu iſthic ponere videris, mortuorum memoriam *publico numiſmate quopiam boneſtatam*, aut eosdem *publico ſolemnique ritu conſecratos*, ſeu in Deorum numerum relatos eſſe, unum Antiquis ſonuiſſe, idemque; atque adeo in quibusvis, defunctorum memoriæ & honori procuſis, numis conſuetam *Conſecrationis* notam ac ſymbolum, aut ſaltem DIVI, aut DIVAE, aut MEMORIAE epigraphen exprimi debuiſſe. Verum iſthæc ab ſe quam longiſſime disjuncta, non vocabulorum modo illorum etymon, ſed ipſa præterea Veterum conſuetudo & exempla abunde demonſtrant. Quod ſi igitur dixero, Pollæ meæ defunctæ numum eſſe ſignatum absque ulla prorſus ἀποθεώσεος prærogativa; ecce tibi uno flatu disjecta omnia, quæ inſtruxiſti *Conſecrationis* machinamenta, DIVAE ornamentum, MEMORIAE epigraphen, *Carpentum*, *thenſamque mularum*!

Exſtant certo Claudii Druſi Germanici numiſmata in omni metallo, quorum pleraque ſaltem, primum ab ejus morte percuſſa fuiſſe, non ſolum GERMANICI, quam exhibent, epigraphe, ſed ipſum etiam Claudii Cæſaris nomen, quod conplura eorum, præſertim ænea, habent adjunctum, planum facit atque indubitatum. Fuit quippe Dru-

ſus iſte Claudii Imperatoris pater, diemque obiit anno ætatis tricesimo, *V. C. 745.* Claudio tum bimo infante, qui non niſi octavo & quadrageſimo poſt anno, nempe *V. C. 794.* atque adeo 50. natus annos, imperare obcoepit: unde neceſſario relinquitur, longo poſt Druſi obitum tempore ſignatos eſſe cunctos ejusdem numos, ſequenti inſignes epigraphe, poſticæ adjecta:

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG.
P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C.

Non minus alii, ejusdem Druſi Neronis Imp. honori ac memoriæ procuſi numi, qui GERMANICI cognomen, *Arcumque triumphalem cum Tropæis* repræſentant, inter alios funeris honores mortuo obtigerunt. Nam adteſtante SVETONIO (α) *Corpus ejus per municipiorum, coloniarumque primores, ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis ad urbem devectum, ſepultum eſt in Martio campo. Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps ſtato die quot annis miles decurreret . . . Præterea ſenatus inter alia complura* MARMOREVM ARCVM CVM TROPAEIS *via Appia decrevit, & GERMANICI cognomen ipſi poſterisque ejus . . . . cum Auguſtus tantopere & vivum dilexerit, ut*

(α) *Suetone in Claud. c.* 1.

cohæredem ſemper filiis inſtituerit, ſicut quondam in ſenatu profeſſus eſt ; & defunctum ita pro concione laudaverit, ut Deos precatus ſit : ſimiles ei Cæſares ſuos facerent, ſibique tam honeſtum quandoque exitum darent, quam illi dediſſent. Nec contentus elogium tumulo ejus verſibus a ſe compoſitis inſculpſiſſe, etiam vitæ memoriam proſa oratione compoſuit. Nihilominus tantus Heros, de Republ. æque, atque de familia Auguſta optime meritus, tantisque ab obitu ornamentis cumulatus, numisque quam plurimis poſteritati conmendatus, publico ſolemnique ἀποθεώσεος ſive *Conſecrationis* honore caruit. In ejus certe numiſmatibus ne minima quidem *Conſecrationis* conparet nota.

Hujus ex merito latus ſtipet Germanicus, a Tiberio adoptatus, & TI. IVL. TI. AVG. F. GERMANICVS. CAESAR. dictus; cujus quoque numiſmatum partem majorem poſt ipſius obitum, qui Epidaphne in Syria contigit, a Cajo filio, vel a Claudio fratre cuſam teſtatur Mediobarbvs (α), quin eapropter in Deorum cenſum veneſit, ſolemni *conſecrationis* pompa decreta, aut quin ullam hujus notam illius præferant numi ; licet eximiis, ac prope

(α) *Mediobarb. Impp. Rom. Numiſm. fol.* 73.

Digitized by Google

divinis ab obitu cumulatus fuerit honorum ornamentis, quæ conquiſitis verbis diffuſe deſcribit TACITVS (α).

Iſtis velut coronam addo Antoniam Auguſtam, laudati ante Druſi uxorem, atque adeo matrem Claudii Auguſti, feminam rara iis temporibus honeſtatis ac continentiæ laude inſignem: iſtius pariter numiſmata pleraque ſeu aurea, ſeu argentea, ſeu ænea, nempe illa, quæ AVGVSTAE cognomen, & *Conſtantiæ* ſymbolum, Ti. Claudio Imperatori peculiare, cum hujus ipſius Imp. nomine referunt, primum ab ejusdem exceſſu mallei ictum adcepiſſe, duo ſunt, quæ evincunt. Alterum eſt autoritas SVETONII (β), qui Claudium, ait, matri decreviſſe *cognomen AVGVSTAE ab* VIVA *recuſatum*: ſic enim mendoſum illud *ab* AVIA expurgandum ac legendum, non verus modo dictorum ſenſus atque contextus, ſed ipſa quoque LIPSII, aliorumque doctorum virorum autoritas atque conſenſio ſuadent. Alterum, idque multo certiſſimum eſt ipſe Antoniæ obitus, cujus, teſte eodem SVETONIO (γ), autor erat ipſe Cajus illius nepos; unde omnino manifeſtum fit, numos, ſub Ti. Claudio, Caji ſubceſſore, matris Antoniæ honori ac memoriæ ſignatos, niſi poſt hujus mortem, non exſtitiſſe. Habes in hac plane geminum Veſpaſiæ meæ

(α) *Tacit. Annal. II.* 83.
(β) *Sueton. in Claud. cap.* 11.
(γ) *Id. in Caj. c.* 23.

exemplum: nempe Avia, & Mater Auguſtorum Antonia poſt mortem monetæ honore a Claudio filio decoratur, atque in metallo inmortalis efficitur; quin tamen uſitata *Conſecrationis muliebris* prærogativa, notave, puta *Pavo*, aut ſecundum ſententiam tuam *Carpentum thenſave mularum*, aut etiam DIVAE, ſeu MEMORIAE epigraphe in ullo ejusdem numo conſpicienda ſe præbeant: quamquam eadem ipſa, perhibente SVETONIO, jam ſub Cajo nepote omnibus, quos unquam Livia Auguſta ſuſceperat, honoribus uno Senatus Conſulto cumulata, atque præterea a Claudio filio eidem decretum fuerat *Carpentum*, quod per circum duceretur.

Conſulto hic prætermitto Familiarum Romanarum numiſmata, quæ propemodum omnia ab eorum, quorum honoribus conſignata ſunt, obitu in lucem prodiiſſe conſtat, at nulla ἀποθεώσεως hedera adpenſa.

Id, quod de ſenatus adulatione ſubjicis, nihil moror: nam ea opus mihi haud eſt ad apotheoſin Pollæ decernendam, quippe quæ, id quod modo diſceptavi, neceſſaria non fuit, vel certe in numo exprimi non debuit; ſed neque, ut ejusdem numum tutum præſtem tectumque, eo confugiendum mihi eſt. Quod namque tu adſentationi, id

ego amori poſſum adſcribere, hocque neutiquam citra propoſitum. Nimirum ex eodem, quem tu hic adplicaſti, Dionis (a) loco id ſtabilio: Συσσίτες τὲ ἔκ τε αὐτῶν ἐκείνων, καὶ ἐκ τῶν ἄλλων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν συχνὲς ἐποιεῖτο, καὶ πολλάκις καὶ αὐτὸς παρὰ τοῖς πάνυ φίλοις ἐδείπνει· τό, τε σύμπαν, τῇ προνοίᾳ τῶν κοινῶν αὐτοκράτωρ ἐνομίζετο· ἐς δὲ δὴ τἆλλα πάντα κοινὸς καὶ ἰσοδίαιτος σφίσιν ἦν. *Convivas quoque ex iis ipſis*, ſenatoribus, *atque ex aliis quotidie frequentes adhibebat, ac crebro etiam ipſe apud familiares coenabat: in ſumma, quoad curam Reipublicæ Imperator habebatur, quoad cetera omnia æquabili cum ipſis jure degebat.*

Jam Principi honoris ſui tantopere ſtudioſo, tamque in ſe comi, propenſo, atque familiari ſenatus mutua amoris denegarit obſicia? an non potius pari eum, ejusque familiam conplexus ſit ſtudio? Quid ergo vetat, quin & matrem popularis adeo, cunctisque cari principis vel poſt fata pro gratæ memoriæ monumento in metallo redivivam, ſpectandamque populo ſiſtat?

Interea num ſic adulationis atque blanditiarum ſaturos, uti tu contendis, ſub Veſpaſiani imperio Patres Romanos fingere mihi liceat, haud ſcio: quippe qui paucis dum-

(a) *Dio Caſſ. Hiſt. Rom. Lib. LXVI. in Veſp.*

Digitized by Google

dumtaxat menſibus ante, id quod bene advertit Cl. PATINVS (α), ſtultitiæ ac vanitati Vitellii Imp. eo usque adulati ſunt, uti in eum unum feliciſſimorum, ſapientiſſimorumque Principum, ut Auguſti, elogia congeſſerint, percuſſis eum in finem publico S. C. conpluribus numis, quorum aliquot loco indicato laudatus recenſet PATINVS. Præterea an nulla prorſus ſenatus adulantis indicia reperire ſit in ipſius numis Veſpaſiani? quid igitur ſibi volunt ii S. C. notati, adeoque publica ſenatus autoritate conſignati numi copioſiſſimi, qui ſequentes oſtentant epigraphes, titulosque ſuperbos:

ADSERTORI LIBERTATIS PVBLICAE.
SECVRITAS POP. ROMA.
LIBERTAS RESTITVTA.
VICTORIA AVGVSTI.
AEQVITAS AVGVSTI.
FELICITAS PVBLICA.
HONOS ET VIRTVS.
JVDAEA CAPTA.
JVDAEA DEVICTA.
MARS VICTOR.
ROMA RESVRGENS.

H

(α) *Patin. Impp. Rom. Numiſm. pag.* 105.

VICISTI CAES.
CLEMENTIA AVGVSTI.

Mitto conplures id genus numos alios, qui omnes vivo Veſpaſiano ex ſenatus, quod ſinguli exhibent, conſulto ſignati ſunt, quique magnificis ejuscemodi ſcatent adpellationibus, variiſque Romani faſtus inſignibus. Mitto quoque pompam triumphalem poſt natos homines ſuperbiſſimam, eidem ab ſenatu decretam. Hiſce in cunctis, atque præſertim in ſuperbo illo titulorum, præconiorumque cumulo & adparatu, nihilne tu adſentationis, nihil vanitatis, nihil nugarum vides? adeone ſenatum ab omni omnino adulationis nota abſolves, purgabisque?

Quibus non ſalibus, proſequeris tu, *ut erat facetus*, *vel auditum patrum conſilium de matris numo inlatum perfricuiſſet, qui de ſua ipſe conſecratione morbo ingruente nugabatur noto illo apud* Svetonivm: *ut puto, Deus ſio?* In poſtremo primum tantisper inhærebo. Nugatum ain' de conſecratione Veſpaſianum? quid ſi ſerio, minimeque ludibundus iſthic de ſe, Divis ab morte adcenſendo, locutus fuiſſet Veſpaſianus, eodem puta ſenſu, quo Adrianus, adoptato Aelio Vero, languido ac brevi morituro, dixit autore Spartiano (*a*): *Ego mihi* divvm *adoptavi, non filium?*

(*a*) *Ael. Spartian. in Vita Adrian.*

Eamdem in ſententiam Antoninus Caracalla teſte eodem (α), obciſo fratre Geta, quum vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque poſſe mitigari facinus, ſi DIVUM fratrem præſtaret, adpellaretque, repoſuiſſe fertur: *ſit* Divus, *dum non ſit vivus.* Et enim certum ſecurumque de Divinis honoribus, *&* *coeleſtibus*, quas Tacitus (β) vocat, *religionibus*, ſibi a morte, pro more jam tum recepto, decernendis jubebant Veſpaſianum cum ſenatus, populique in ipſum ſtudia, tum Titi filii ac ſubceſſoris pietas atque obſervantia. Ipſa ad hæc narrationis connexio, qualis in Dione exſtat, Flavium docet ex animo locutum: *τῶν δὲ ἰατρῶν ἐπιτιμώντων αὐτῷ, ὅτι τῇ τε διαίτῃ ὁμοίᾳ νοσῶν ἐχρῆτο, καὶ πάντα τὰ προσήκοντα τῇ ἀρχῇ ἔπραττε, τὸν αὐτοκράτορα δεῖ, ἔφη, ἑστῶτα ἀποθνήσκειν.* *Quum autem increparent eum medici*, refert Dio (γ), *quod morbo correptus eadem victus ratione uteretur, faceretque omnia, quæ ad principatum ſpectarent, reſpondit: Imperatorem ſtantem mori oportet.* Ecquis his dictis ludicrum quid ineſſe ſuſpicetur, aut non intelligat, *ſtantem* eamdem hic vim ac ſententiam habere, quam *negotioſum*, ſive *muneri intentum*? Cur igitur id, quod continuo in laudato Dione ſubjicitur, in jocularium dictorum

(α) *Id. in vita Anton. Getæ.*
(β) *Tacit. Lib. I. Annal.*
(γ) *Dio Lib. LXVI. in Veſp.*

numero putandum ſit ? ἐπειδή τε ἐπίϛευσεν, ὅτι τελευτήσει, ἔφη, Θεὸς ἤδη γενήσομαι. *Poſteaquam autem credidit ſe moriturum, Deus, inquit, jam efficiar.*

Enim vero conceſſis, relictisque his Veſpaſiano ſua ſuper conſecratione nugis, examinemus jam ſales, quibus tu inlatum Patrum de matris numo conſilium ab eo perfricandum fuiſſe autumas. Et cur idem auditum Patrum de tot ſuis, quorum ante mentionem intuli, numiſmatibus, magnificisque inſcriptionibus conſilium non perfricuit, aut non præpediit ? viden', in quod, quantumque denuo conjeceris diſcrimen laudatam a te hic, uti ſupra, Veſpaſiani mediocritatem atque moderationem ? Verum ſalva præſtabo ego omnia, ubi modica digreſſiuncula facta in præſens paucis oſtendero, id quod ſupra etiam adtigi, æris ſignandi poteſtatem usque ad conlabentis imperii tempora penes ſenatum plenam & integram fuiſſe, atque adeo eum neutiquam ad flanda, feriundaque ex ære numiſmata opus habuiſſe Imperatorum neve juſſu, neve conſenſu, ſaltem ſpeciatim expreſſo.

Præterquam quod conmunis, hodiernorum cumprimis, Antiquariorum atque rei numariæ Magiſtrorum ſententia huic veritati ſubfragetur, ipſa adeo id demonſtrant nu-

miſmata *ænea*, in quibus S. C. nota usque ſe & undique conſpicuam præbet, ubi in *aureis*, *&* *argenteis*, quæ Imperatorum usque ad Gallienum tempore procuſa ſunt, eadem pene diſparuit, demptis pauculis, in quibus S. C. inſcriptio non tam metallum, unde numus effictus, quam typum, ipſi metallo inpreſſum, reſpicit. Reſervarunt equidem ſibi Imperatores jus & arbitrium *aureæ*, *argenteæque* monetæ feriundæ, quarum aeque, atque *ærea* copia, ſtante adhucdum & libera Republ., penes ſenatum erat omnis. At enim jam inde ab Julii Cæſaris temporibus, id quod inter alios Cl. quoque VAILLANTIVS ſua in *Præfatione ad numos Familiarum Romanarum* docuit, monuitque, diviſum erat uti Provinciarum, ita & monetæ imperium; ea quidem ratione, ut penes Imperatorem *Auri*, *Argenti*, penes Senatum vero *Aeris flandi*, *feriundi* poteſtas foret omnis, & arbitrium.

Hujus velut dimidiati Auguſtum inter, ac Senatum imperii monetalis argumenta præbent quam plurima cum ſcriptores, tum monumenta antiqua. Sic PLINIVS (α) *de aureis* ſcribit numis: *Paulatim Principes imminuerunt pondus* AUREORUM. LAMPRIDIVS (β) de Elagabalo: *Varias numorum* AUREORUM *formas invenit cauſa largitionis.* Rurſus

H 3

(α) *Plinius XXXIII. 3.*
(β) *Aelius Lamprid. in vita Heliogab.*

idem de Alexandro Severo (α): *Alexandri habitu plurimos numos figuravit, & quidem* ELECTREOS *aliquantos, ſed plurimos tamen* AVREOS. Electrum, teſte PLINIO (β), auro ſimul, argentoque, vel natura vel arte mixtis, conſtabat. Ultra LAMPRIDIVS de eodem Alexandro Imp. narrat (γ): *Tuncque primum ſemiſſes* AVREORUM *formati ſunt: tunc etiam cum ad tertiam partem* AVRI *vectigal decidiſſet, tremiſſes, dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non poſſet* &c. Nulla prorſus iſthic ſit mentio de aliqua, quam Severus adtentarit, monetæ *æneæ* inmutatione: ſcilicet nolebat videri, arguive ullo pacto in ſenatus jura involaſſe. PLVTARCHVS (δ) de Othone meminit: Ἀποςάντος δὲ Γάλβα, πρῶτος αὐτὸς προσεχώρησε τῶν ἡγεμόνων, καὶ φέρων ὅσον εἶχεν ἐν ἐκπώμασι καὶ τραπέζαις ἄργυρον καὶ χρυσὸν, ἔδωκε κατακόψαι ποιουμένῳ νόμισμα. *Deficienti*, a Nerone, *Galbæ primus ex rectoribus Provinciarum adgregavit ſe, adferensque, quidquid in poculis & menſis* AVRI & ARGENTI *haberet, tradidit*, Galbæ, *ad ſignandam ex eo* MONETAM. De numis præterea *argenteis* SVETONIVS (ε) in Auguſto: *Numum* ARGENTEVM *nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſit.*

(α) *Id. in vit. Alex. Severi.*
(β) *Plin. Lib. I. c.* 34.
(γ) *Lamprid. l. l.*
(δ) *Plutarch. in Galba.*
(ε) *Sueton. in Aug. c.* 24.

Digitized by Google

Ad hæc STATII (α) verſus, quos ad levandum Hetruſci, mortuum patrem lugentis, dolorem concinnaverat, nobis manifeſto indicant, eumdem Hetruſcum præfectum fuiſſe metallo, nomine Cæſarum ſignando:

Quæ DIVVM *in vultus igni formanda liquescat*
Maſſa, quid Auſoniæ ſcriptum crepet igne MONETÆ.

Id autem metallum, quo cudendo obcupabantur Monetarii Cæſarum, exſtitiſſe *aurum & argentum*, denuo luculentiſſime demonſtrat Inſcriptio antiqua, Romæ ſub exitum ſeculi ſexti ſupra decimum detecta, & a GRVTERO prolata. Iſtius Inſcriptionis, imperante Trajano factæ, initium ita habet: (β)

FORTVNAE AVG.
SACRVM
OFFICINATORES. MONETAE
AVRARIAE. ARGENTARIAE
CAESARIS.

Jam vero quod de plena ſenatus autoritate in *ſignando ære* dixi, id præter hactenus dicta adfirmo inſuper,

(α) *Stat. Sylv. L. III.* 433.
(β) *Grut. LXXIV.* 1.

Digitized by Google

& conroboro autoritate DIONIS (α), cujus hæc ſunt verba de Caligula: Τῇ δὲ δὴ τοῦ Γαΐου μνήμῃ ἀχθόμενοι, τὸ νόμισμα τὸ χαλκοῦν, πᾶν ὅσον τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐντετυπωμένην εἶχε, συγχωνευθῆναι ἔγνωσαν. *Caji memoriam ægre ferentes*, ſenatores, *omne* AEREVM *numiſma, quod ejus imaginem habebat inpreſſam, conflari juſſerunt. Aereum* dumtaxat Caligulæ numiſma conflatum ſcribit DIO, non *aureum*, non *argenteum*: quia ſcilicet *æreum* ſolum juſſu ſenatus ſignatum fuerat, atque adeo ejusdem decreto conflari ſolum poterat. Huc valde quam adpoſite facit, quod Inluſtriſſimus Baro DE LA BASTIE (β) hanc in ſententiam ſcribit: *Nota S. C. ſeu autoritatis ſenatoriæ* δεῖγμα *conparet in omnibus majoris & mediæ formæ nummis æneis ab Auguſto usque ad Florianum & Probum, & in iis, qui minoris ſunt moduli, usque ad Antonini Pii tempora, poſt quæ nullum, minoris formæ quidem, æneum reperire eſt numiſma, quod Romæ percuſſum credi poſſit, usque ad Trajanum Decium, ſub quo denuo ejusce moduli reperiuntur nummi cum S. C. Diverſitas* (concludit Doctiſſimus hic Antiquitatis Inveſtigator) *adeo conſtans, unaque adeo memorabilis, quandoquidem moneta aurea & argentea præter* εἰκόνα *Cæſaris, quam præſeferebat, nihil quidquam prærogativæ aut meriti ad uſum & commercium quotidianum adferebat, quum contra ænea Cæſaris imagini*

(α) *Dio Lib. LX.*

(β) *In Commentar. ad P. Jobert Science des Méd. T. I. p.* 209.

imagini notam præterea ſenatoriæ autoritatis adderet ; talis, inquam, diverſitas an aliunde exſtitiſſe judicanda ſit, quam ex partitione rei, poteſtatisque numariæ, Cæſarem inter, atque ſenatum facta?

Ut ergo in *auream*, & *argenteam* Imperatores omne ſibi jus vendicabant monetam, ita ſenatui integerrima *æneæ* relicta eſt copia atque poteſtas, usque adeo, ut haudquaquam neceſſe habuerint quampiam ex ære monetam flaturi, & ſignaturi, aut novum Principis imperium conſenſumve præſtolari, aut ejusdem, ſi qua forte ex auro argentove prior feriunda curaſſet numiſmata, exemplum actutum in ære imitari. Hinc fortaſſean & ratio peti poſſit, cur, ubi *complures aurei & argentei* Othonis numi præſto ſunt, adeo tamen pauci & rari ejusdem exſiſtant *ænei latini.* Nempe habebat ſibi Otho ſenatum Romanum perinſenſum, atque infeſtum. PLVTARCHVS (α) rogantes inducit milites: Τί γεγόνασιν οἱ Καίσαρος πολέμιοι οἱ συγκλητικοί; ubi eſſent HOSTES CAESARIS SENATORES? TACITVS (β), eo defuncto, ait: *Milites* INFENSVM *Othoni* SENATVM *adhuc arbitrabantur.* His non abſimilia documenta etiam DIO profert.

I

(α) *Plutarch. in Othone.*
(β) *Tacitus Lib. I. Hiſtor.*

Inde nunc adeo conlige tibi reſponſum ad ea, quæ adhuc de juſſu, conſenſu, & autoritate Veſpaſiani, ut ſi iſta ad æneum Veſpaſiæ numum cudendum neceſſaria fuiſſent, ſenſiſti & ſcripſiſti, quæque hoc inſuper loco de imitando ab ſenatu Veſpaſiani exemplo conmemoras. Quamquam neque iſtiusmodi pro cauſſa mea egeo reſponſi: liberum enim mihi eſt dicere, de quoquidem infra ex propoſito acturus ſum, Pollæ numiſma ſub Nepotibus Tito aut Domitiano eſſe ſignatum; unde tota, ſi quæ tibi ſuper, difficultas circa Veſpaſiani ſeu mediocritatem, ſeu autoritatem, penitus tollitur conciditque.

Unum etiamnum mihi ſuperat iſthic dubium de numis Domitillæ, Veſpaſiani conjugis, cujus tu effigiem extra dubium eſſe ais, a Tito tandem in moneta ſignatam. Huic namque ſententiæ adverſatur ejusdem numiſma, quod Cl. PATINVS (*a*) exhibet: in hujus adverſa caput Domitillæ adparet cum epigraphe græca: ΦΛΑΟΥΙΑ ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. Averſa repræſentat *ſerpentem equi currentis dorſo impoſitum* cum nota ſubſcripta: LS. λυκάβαντος ἔκτε *anno ſexto*, nempe imperantis Veſpaſiani. Addit PATINVS ſequentia: *Uxoris imaginem (cujus memoriam Imperatori jucundam Græci nove-*

(*a*) *Patinus Impp. Rom.* Numiſm. *ſ.* 109.

rant) quaſi rediviva, *ex ære cuderunt dignitatis ſummæ*, *quam illi fata inviderant*, *participem facturi. Hoc vero ſymbolum* SERPENTIS, *&* EQUI *vitæ brevitatem Domitillæ deſignare videtur : ſerpente enim annus in ſe recurrens*, *equo currente celeritas exprimitur.* Verum multo certius, atque luculentius teſtimonium præbet mihi proprius, quem meo in Muſeo hodieque adſervo, ejusdem Domitillæ numus, in cujus parte altera expreſſis verbis legitur: ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΟΥΕΣΠΑΣ. *Imperator Cæſar Auguſtus Veſpaſianus*, cum adjecta in medio nota: LΔ. imperii annum quartum deſignante; altera caput refert Domitillæ. Neque dixeris, iſthæc Domitillæ Veſpaſiani filiæ eſſe numiſmata : quippe hæc nusquam legeris absque MEMORIAE epigraphe, & adjecto Titi fratris, ſub quo primum in metallo ad inmortalitatem conſecrata fuit, nomine. Intelligis hinc, opinor, non omnia omnino, quod ais, Domitillæ Veſpaſiani Conjugis numiſmata primum ſub Tito filio procuſa.

Scena mutata inter Ψιχάδας, & Ornatrices te ingeris, minime veritus, dum meæ Veſpaſiæ fiat male, ne te fors ipſum, virum moribus antiquis gravem, atque non niſi cum doctis, mortuisque confabulari ſolitum, procax alioquin & nugax puellarum cubicularium chorus male adcipiat, faciatque ludos. Cultum capitis ut cum ornatu certarum

Digitized by Google

ejus temporis Auguſtarum conparem, præcipis. Conparavi; inſpexi inprimis caput Domitillæ; neque hujus capillorum fabricam deprehendi valde diſſentaneam illi, quam mea præfert Veſpaſia: examinavi præterea Statiliæ Meſſalinæ Neronis, Valeriæ Meſſalinæ Claudii, Galeriæ Fundanæ Vitellii Impp. uxorum capita; neque hæc multum abſimilia inveni. Tu ipſe confiteris, Veſpaſiam meam ad Juliam Piam Severi uxorem adcedere, quin cum Salonina commatis Alexandrini belle congruere. Cave, quæſo, latina inſcriptione te ſinas prohiberi ab hac cum illa conparanda: cur enim Alexandriæ præter græcos non æque latini aliqui poterant ſignari numi, atque in aliis Græciæ urbibus? annon habemus numiſmata & græca, & latina urbis Patraſſenſis in Achaja? annon Cl. HARDVINVS (α) inter Damaſci numos recenſet jam latino, jam græco ſolum, jam utroque ſimul loquentes idiomate? Certe ſub Veſpaſiani Imperatoris primordia Alexandriæ græcam una, & latinam ſignatam eſſe monetam veri eſt quam quod ſimillimum. Audiamus DIONEM (β): Αὐτὸς δὲ, τά τε ἐν τῇ Συρίᾳ ἐπιδὼν, καὶ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Ἰουδαίους ἄλλοις τισὶ προςάξας, ἐς τὴν Αἴγυπτον ἐκομίσθη καὶ συνέλεγε χρήματα, ὧν που καὶ τὰ μάλιςα ἔχρῃζε, καὶ σῖτον, ἵν' ὅτι πλεῖςον ἐς τὴν Ῥώμην ἀποςείλῃ.

(α) *Harduin. Opp. Sel. pag. 48.*
(β) *Dio. Lib. LXV. in Vitellio.*

Ipſe, Veſpaſianus, *inſpectis rebus Syriæ, præfectiſque aliis Ducibus bello Judaico, in* AEGYPTVM *contendit, &* PECVNIAM, *qua maxime ei opus erat, itemque frumentum conligit, ut Romam, quam maximum numerum poſſit, mittat.* PECVNIA iſthæc certo ſignabatur in totius Ægypti metropoli Alexandria; erat hæc urbs præterea emporium celeberrimum; aliqua tum exercitus, Veſpaſiani imperiis ſubditi, pars cum eodem ibi conmorabatur: quid itaque mirum, ſi in ea urbe præter Græcam & Latina cudebatur moneta, tum copiarum Romanarum ſtipendiis, tum ipſorum incolarum inter ſe, & cum militibus conmercio deſervitura, tum etiam Romam tranſmittenda? Quin itaque hic dixero, ipſum Veſpaſiæ numum Alexandriæ ſignatum? Alexandrini namque Veſpaſianum, narrante eodem DIONE (*a*), πρῶτοι αὐτὸν αὐτοκράτορα πεποιήκεσαν, *primi omnium Imperatorem fecerant;* poterant igitur ad inluſtrandos ejuſdem natales, quum minus id per obſcuram ad id tempus Flaviorum gentem liceret, ſplendorem mutuari ab Veſpaſiæ matris genere nobiliſſimo juxta, ac vetuſtiſſimo, ejuſque nomine monetæ inpreſſo, in populum vulgare, efferreque; præſertim quum ipſe quoque Veſpaſianus inde nomen traheret ſuum, atque in ipſo aliorum nihil decorum & ornamentorum, Principe dignorum, deſideraretur præter unam natalium claritudinem, generiſque

(*a*) *Dio Lib. LXVI. in Veſpaſ.*

nobilitatem, priſcis nihilominus illis ſumme expetitam, maximique penſam. Annon Tiberius Alexander, Aegypto præfectus, quique legiones ſuas Veſpaſiano, tum primum ſalutato Imperatori, adjunxerat, alia inter, & Veſpaſiæ poterat procudere numiſma ad honeſtandum hoc pacto filii ortum, maternique generis claritudinem oſtentandam? Satis enim liquet, Quæſtores ac Prætores Provinciarum jus atque poteſtatem habuiſſe monetæ non militibus modo diſtribuendæ, verum & cudendæ. Nolo jam in his copioſior eſſe, quippe plura ſub *hujus Diſſertationis* finem, ubi ſimile recurret argumentum, dicturus.

At dabo etiam, cultui capitis Veſpaſiæ meæ cum aliarum ejus temporis Auguſtarum ornatu non convenire, quid tu inde? Jam ego te inſpicere jubeo, atque contenta opera contemplari Auguſtarum numos; & his fere omnibus inſpectis, vix binas adſero te inventurum pari prorſus modo cincinnatas, comptasque. Tu igitur continuo ſingulos harum numos inter adulterinos eapropter proſcripſeris? En ut denuo malleum inter & incudem medius hæreas! Hæc ipſa tanta varietas firmum ſuper capitis, capillorumque cultu haud patitur nos ferre judicium. Nempe id, a capitis ornatu in volubili adeo ſexu petitum, argumentum levioris etiam ponderis eſt, ac illud, quod ſupra ex oris, lineamen-

Digitized by Google

torumque diverſitate hauſiſti. Quam autem mutabile hac in parte feminarum ingenium fuerit, non tu tantummodo noſti, ſed veterum quoque abunde conpertum faciunt exempla.

Sic illa tempeſtate jam veluti *rhinocerontes* femineis prominebant ex capitibus, jam *cometæ* vacua horum ſpatia pererrabant. Erant, quæ crinem faſtigiabant, & ſummum in verticem adſtringebant, ut veluti turritam Cybelen referre viderentur; de hujuscemodi aliqua JVVENALIS (α):

Tot adhuc conpagibus altum
Ædificat caput.

Erant, quæ adſcititios inſuebant crines, quibus nimirum non erant premiſſi. APVLEJVS (β): *Adtextis capite crinibus feminam mentiebatur. Acus* quoque *comatoria*, ut hodieque non nullis, ſic antiquis erat ſolemnis. PETRONIVS (γ) *Pſyche acu comatoria, cupienti mihi invocare Quiritium fidem, malas pungebat.* MARTIALIS (δ) item:

(α) *Juvenal. ſatyr.* 6.
(β) *Apulej. Libr. XI.*
(γ) *Petron. in Satyr.*
(δ) *Martial. lib. II. Epigr.* 66.

Digitized by Google

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.

ISIDORVS in eamdem ſententiam (α): *Acus ſunt, quibus in feminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant.* Acus haſce ex VLPIANO liquet gemmis fuiſſe diſtinctas, quod & hodie fieri ſolet. Varia hæc cultus ſeu ornatus muliebris diſcrimina paucis conplexus eſt TERTVLLIANVS (β), ubi ſic loquitur: *Quod crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis, modo ſuſcitatis, modo eliſis. Aliæ geſtiunt in cincinnos coercere, aliæ, ut vagi & volucres elabantur, non bona ſimplicitate. Adfigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis; nunc in cervicem retro ſubgeſtum.*

Superſedeo ſexcentis aliis, quas feminæ in capitis, comarumque cultu olim adhibuere, formis modisque hic percenſendis; quum propemodum ad *lanam caprinam*, nempe *pilos*, horumque formam noſter devolutus ſit ſermo. Age jam, & inſtabili adeo atque incerto innitere fundamento! Ipſe certo P. JOBERTVS, & Inluſtriſſimus ejus Commenta-

(α) *Iſidor. Lib. XIX.*
(β) *Tertull. de Cultu Fem.*

Digitized by Google

mentator, a me alias laudatus, fatentur, necdum vocabula nobis ſubpetere, quibus tam diverſas capitum capillorumque femineorum fabricas, in antiquis obcurrentes numis, conmodum explicemus.

Cultu Veſpaſiam Nurſiano exhiberi pace mea adfirmaris, aut negaris; quamquam nolim, inde concludas, hunc Nurſianis ſolum mulieribus fuiſſe capitis ornatum: eum namque vel maxime Romanis Veſpaſiani ævo matronis familiarem exſtitiſſe, inter alia teſtatum facit Monumentum, quod *ad aquarum receptacula Thermarum Veſpaſiani* conditum e *Boiſſardo* Grvtervs (*a*) producit; in iſto Effigies Hellenicæ, quæ id marito, filio, filiæque, & ſibi poſuit, cum capillorum fabrica illi, quam Veſpaſia meo in numiſmate refert, germaniſſima cernitur. Interim, miſſo hoc, illa, quæ mox adjungis, verba ad limam revocare, atque exactiore trutina examinare conſtitui. *Contra adſenſum filii*, inquis, *jam diſputavi ſuperius*, *cedo quis effigiem furtim ſublegerit?* Diſputaſti tu equidem contra adſenſum Veſpaſiani; quo autem ſubceſſu id feceris, argumenta, quæ adverſa ex acie obpoſui, doceant. Cetera plane atque latine tibi dico, me penitus latere, quid illa tua hoc loco ſibi velit quæſtio: *cedo*, *quis effigiem furtim ſublegerit?* Ad hoc namque ut

(*a*) *Gruter. Pag. DCCCXXXII.*

Digitized by Google

Veſpaſiæ imago in æs incidi, ſcalpique poſſet, ſat erat, ſi eadem a familia, aut filio Principe, id quod tu ipſe iſthic admittere videris, eo in cera fuerat adſervata modo ac more, qui tum nobiles apud Romanos obtinebat, vigebatque.

Atque profecto neque tu facile adſeveraveris, Veſpaſianum eo usque aut matris defunctæ inmemorem, aut maternæ claritudinis incurioſum exſtitiſſe, ut ne ejus quidem imagini, ſecus atque tum nobilium illius ſeculi mos ac genius ferebat, inter alias avorum maternorum ceras locum penes ſe relinqueret. Sed neque a temporum illorum ratione & conſuetudine remotum, neque ab Veſpaſiani dignitate alienum, contra e re potius ipſius futurum erat, ſi paterni Flaviorum generis obſcuritatem materni Veſpaſiorum claritudine velut cooperiret, aut, ſi mavis, inluſtraret; atque adeo & nobilitatis laude in populo clareſceret. Habebat ille præ oculis exemplum Germanici Cæſaris, cui, ut refert TACITVS (*a*), ſub Tiberio aula præ Druſo favebat, quia CLARITVDINE MATERNI GENERIS *anteibat avum M. Antonium. Contra Druſo proavus Eques Rom. Pomponius Atticus dedecere Claudiorum* IMAGINES *videbatur*. Nec minori ad materni generis claritudinem tuendam & amplectendam, præcipue ubi paternum inhonorum atque obſcurum eſt, incitamento eſſe

(*a*) *Tacit. Annal. II.* 43.

poterat Sabina Poppæa Auguſta, Neronis Imperatoris uxor ſecunda, quæ *T. Ollio patre genita*, verba ſunt ejusdem TACITI (α), *ſed nomen* AVI MATERNI *ſumpſerat, inluſtri memoria Poppæi Sabini, Conſulari & triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium, honoribus nondum functum, amicitia Sejani pervertit.* E converſo Cajus Imp., quod prodidit SVETONIVS (β), *Agrippæ ſe nepotem neque credi, neque dici ob* IGNOBILITATEM *ejus volebat, ſuccenſebatque, ſi qui vel oratione vel carmine* IMAGINIBVS *eum Cæſarum inſererent.* Ad hæc laudatus ante TACITVS(γ) adducit Firmium Catum ſenatorem, qui juvenem nobiliſſimum Libonem Druſum e Familia Scriboniorum *ad luxum & æs alienum hortatur, dum proavum Pompejum, amitam Scriboniam, quæ quondam Auguſti Conjunx fuerat, conſobrinos Cæſares, plenam* IMAGINIBVS *domum oſtentat.*

Optime tenes, KHELLI ERVDITISSIME, Romanis *Nobilitatem*, & *Imagines* ejusdem vocabula fuiſſe valoris atque ſententiæ, ita ut ſi quis *una* tantum, nempe ſua gauderet imagine, *homo novus*, ſi *nulla*, *ignobilis & obſcurus*, ſi majorum *imaginibus*, *nobilis*, & *imaginibus clarus*, & quo plures hæ eſſent, eo etiam ille nobilior cenſeretur. Ita

(α) *Tacit. Annal. XIII.* 45.
(β) *Sueton. in C. Calig. c.* 23.
(γ) *Tacit. Annal. II.* 27.

quoque *Jus imaginum* conſequi, idem illis ſonabat, ac *Nobilitatem* ſeu Magiſtratus & *honores* adipiſci. CICERO (α): *Ego me ob ædilitatem mihi delatam adeptum eſſe intelligo antiquiorem in ſenatu dicendæ ſententiæ locum, Togam prætextam, ſellam curulem*, JVS IMAGINIS *ad memoriam, poſteritatemque prodendam.* Hæ majorum *imagines* in atriis adſervabantur, &, quum quis ex ea gente defungeretur, in funere præferebantur. SENECA (β): *Qui* IMAGINES *in* ATRIO *exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis ſunt, quam nobiles.* PLINIVS Major (γ) Veſpaſiani famulus: *Apud majores noſtros in Atriis hæc erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum ærea aut marmorea.* EXPRESSI CERA VVLTVS *ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent* IMAGINES, *quæ comitarentur* GENTILITIA FVNERA, *ſemperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* SILIVS: (δ)

Non Conjunx, native aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virum, aut celſis de more feretris
Præcedens priſca exſequias decorabat IMAGO.

(α) *Cicero Orat. in Verr.*
(β) *Seneca de Ben. III.* 28.
(γ) *Plinius Hiſt. Nat. XXXV.* 2.
(δ) *Sil. Ital. de Bello Punic. L. X.*

Digitized by Google

TACITVS libro ante laudato: (α) *Sotta Meſſalinus, ne* IMAGO *Libonis exſequias poſterorum comitaretur, cenſuit.* Idem alibi: (β) *Viginti clariſſimarum familiarum* IMAGINES *antelatæ ſunt* &c.

Imagines etiam *annulis* inſculptas geſtabant veteres. OVIDIVS: (γ)

Hæc tibi diſſimulas, ſentis tamen omnia dici,
In digito qui me fersque refersque tuo:
Effigiemque meam fulvo conplexus in auro,
Cara relegati, quæ potes, ora vides.

CICERO (δ): *Nec tamen Epicuri licet oblivisci, ſi cupiam, cujus imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in* ANNELLIS *habent.* PLINIVS Junior (ε): *Quod paulo tardus feci, dum requiro gemmam quam ſibi habentem imaginem Pacori, & quibus inſignibus ornatus fuiſſet, ſubtractam indicabat.* In *annulis* præterea *ſignatoriis* imagines ad-

(α) *Tacit. L. I.* 32.
(β) *Id. Annal. III.* 76.
(γ) *Ovid. Triſt. I. Eleg.* 7.
(δ) *Cicero de Fin. bon. & mal. V.* 1.
(ε) *Plin. Epiſt. X.* 16.

hibebant; in hanc rem SVETONIVS de Auguſto (*a*) loquitur: *In diplomatibus*, *libellisque*, *&* *epiſtolis* SIGNANDIS, *initio* SPHINGE *uſus eſt*: *mox* IMAGINE *Magni Alexandri*, *noviſſime* SVA, *Dioſcoridis manu ſculpta*, *qua* SIGNARE *inſecuti quoque Principes perſeveraverunt.*

Jam ab ſolemni hac & conmuni, apud cunctos Romanos nobiles obtinente, *Imagines* ſuæ gentis fingendi, adſervandi, geſtandi, ac præcipue in funeribus præferendi conſuetudine ſoli abſtinuerint, deſciverintque Veſpaſiæ propinqui? Nihil quidquam matri Veſpaſianus, & Sabinus, nihil aviæ Titus & Domitianus, nihil adfini & propinquæ alii e Veſpaſiorum gente adfines, neceſſarii & propinqui, an potius nihil ſibi ipſis, generi nimirum ac nobilitati ſuæ, tribuiſſe cenſendi ſint? Erat Veſpaſia, id quod ſæpius jam ex SVETONIO audiſti, genere nobiliſſimo, ac vetuſtiſſimo oriunda; exſtabant igitur illius *imagines* æque, atque majorum cum *ad memoriam*, *poſteritatemque prodendam*, tum *ad comitanda gentilitia funera.* Neque fors dixeris, nobilium tantummodo virorum, ſed non feminarum imagines ab antiquis expictas, atque cuſtoditas fuiſſe: & enim ex paulo ante dictis, adductiſque exemplis in conperto eſt, materni quoque generis *claritudinem* ac *nobilitatem*, atque adeo & *imagines* priſcis in numero, atque pretio habi-

(*a*) *Suet. in Octav. Aug. c.* 50.

Digitized by Google

tas. His addo præterea, quod SVETONIVS (*a*) de Galba Imp. conmemorat: *Nullo gradu contingens Cæſarum domum; ſed haud dubie nobiliſſimus, magnaque & vetere proſapia: ut qui .... Imperator etiam* STEMMA *in atrio propoſuerit, quo paternam originem ad Jovem:* MATERNAM *ad Paſiphaen Minois uxorem referret.* IMAGINES, *& Elogia* VNIVERSI GENERIS *exſequi longum eſt.* En hic mentionem & *Maternæ originis*, & *imaginum univerſi*, adeoque *materni* etiam *generis*!

Ad hæc perbene noſti tum ex græco Vocabuli etymo, tum ex autoritate PLINII (β) dicentis: STEMMATA *lineis diſcurrebant ad* IMAGINES *pictas*: iſthæc fuiſſe *coronas*, in quarum medio cera expreſſi erant majorum vultus, *lineis diſcurrentibus ad imagines pictas*, & ſignantibus cognationis gradus. Vnde rurſum manifeſtum exſiſtit, nobilium quoque *feminarum imagines*, *ab ſtemmate in atrio propoſito*, exhibitas fuiſſe ad prodendam Nobilitatem, indicandosque neceſſitudinis gradus. TACITVS (γ) item duarum nobiliſſimarum feminarum *imagines* profert: EFFIGIES *Poppææ proruunt. Octaviæ* IMAGINES *geſtant humeris, ſpargunt floribus, foroque ac templis ſtatuunt.* Quam plurima id genus

(α) *Sueton. in Galb. cap.* 2.
(β) *Plin. Hiſt. Nat. XXXV.* 2.
(γ) *Tacit. Ann. XIV.* 61.

Digitized by Google

teſtimonia alia & exempla ſubpeterent, ſi ad alia properanti aut animus, aut neceſſitas foret eorum hic percenſendorum.

Aliud nempe hic mihi adhucdum ſubit: memini ſupra jam ex SVETONIO, *Veſpaſiorum conplura* MONVMENTA *exſtitiſſe, magnum indicium ſplendoris Familiæ & vetuſtatis.* Jam denuo ex nominis etymo palam eſt, *monumentum* eſſe, ac dici, quod ſervandæ memoriæ gratia exſiſtit. Hinc, teſte FESTO, Fana, porticus, ſcripta, & quidquid ob memoriam alicujus factum eſt, nomine *monumenti* venit. Sic thermæ, Pantheon, & porticus Vipſania vocantur *Monumenta Agrippæ* a TACITO *Annal. XV. 39.* Hic idem (α) Baſilicam Aemilii Pauli vocat *Aemilia Monumenta*: *Jisdem diebus Lepidus a ſenatu petivit, ut Baſilicam Pauli*, AEMILIA MONVMENTA, *propria pecunia firmaret, ornaretque.* In monumentorum numero præprimis quoque cenſebantur defunctorum *ſepulcra.* VARRO (β): *Monumenta ideo ſecundum viam, quo prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales.* Sepulcris vero *ſtatuas*, & *imagines* mortuorum fuiſſe inpoſitas ille demum ignorat, qui neſcit, quanta religione & adfectu veteres, præſertim Romani, in propin-

(α) *Tacit. Annal. III. 72.*
(β) *Varro de Ling. Lat. V. 6.*

pinquos & neceſſarios, fato functos, tum etiam, quam inſano fervore ac ſtudio in hujusmodi ſigna & ſtatuas ferebantur. Ad id firmandum bina modo adducam teſtimonia CICERONIS: (α) *Ejus*, Tanagræ, *non longe a Tanagris* SIMULACRUM *e marmore in* SEPVLCRO *poſitum fuit.* Idem in eadem oratione: *Hanc Deam quisquam violare audeat* IMAGINEM *meretricis*, *ornamentum* SEPVLCRI. Huic tertium coronidis loco adcedat teſtimonium ex LIVIO: (β) *Alii Romæ*, *alii Literni* & *mortuum*, & *ſepultum*; *utrobique* MONVMENTA *oſtenduntur* & STATVAE. *Nam* & *Literni* MONVMENTVM, MONVMENTOQUE STATVA *ſuperimpoſita fuit .... Et Romæ extra portam Capenam in Scipionum* MONVMENTO *tres* STATVAE *ſunt.* POLLVX (γ) *ſtatuas* quoque in ſepulcrorum ornamentis numerat. FESTVS item *in ſtatua Ludii* ait: *ſuper oſſa ejus columna cum ipſius* EFFIGIE *poſita eſt.* Taceo jam ipſa ſepulcrorum ſigna marmorea, in veterum monumentis obvia, atque paſſim viſenda.

Noli mirari, diutius me his inmoratum: ex præparato id egi, quo iis, quæ iſthic ſuper *Ceris*, *Imaginibus*

L

(α) *Cicero pro Domo.* 43.
(β) *Livius XXXVIII.* 56.
(γ) *Pollux III.* 19. *VIII.* 42.

Digitized by Google

Gemmis, & *Statuis* in unum quaſi locum conſtipaſti, una omnibus obcurrerem, eaque tamquam in radice ſubciderem.

I nunc, & percontare: ecquisnam Veſpaſiæ *effigiem furtim ſublegerit?* Non opus hic *furtiva ſublectione*, ubi illam ſeu in familiæ, neceſſariorumque *atriis*, ſeu in ipſo *ſepulturæ loco*, ſeu denique in *monumentis* aliis in propatulo cuique intueri licebat. Neque opus inepti cujusdam plaſtæ, aut pictoris, qui

Delphinum ſylvis adpingat, fluctibus aprum,

arte conquiſita, ſeu commentitia, qua diverſum longe ab eo, quo viva uſa ſit Polla, capitis cultum eidem adfinxerit; ubi prototypa præſto erant, viventis tempore, atque adeo ſecundum nativam expicta formam: unde et Triumvir Monetalis, aut flator, aut typarii faber, qui in effigie Veſpaſiæ obcupabantur, capitis ahenei formam mutuari poterant; niſi forte tu iterum Veſpaſiam, feminam nobiliſſimam una, atque honoris ſui ſtudioſiſſimam, adeo ab nobilium tum conſuetudine abhorrentem, imo generis & nobilitatis ſuæ eouſque incurioſam fingas, uti effigiem ſuam neque in cera, neque alia in materia ullo pacto exſtare voluerit;

quum tamen vel libertorum, ſervorum, ſcortorum ſuperba undique cerneret monumenta.

Certe Sabinus Pollæ meæ filius major natu, quem SVETONIUS (α) *ad præfecturam urbis uſque proceſſiſſe* teſtatur, quique matri carus, & honorum admodum adpetens videbatur, materni generis claritudinem atque nobilitatem minime neglexiſſe, aut obliteraſſe cenſendus eſt. Erat ei hujus conteſtandæ multiplex copia & obcaſio; quippe *Præfectus urbi*, id quod pluribus declarat Antiquariorum Lumen SPANHEMIUS (β), ſummo a Conſulibus apud Romanos potiebatur imperio, ut adeo PLUTARCHUS (γ) *Præturam urbanam* dicat *τὴν μέγιϛον ἔχȣσαν ἀξίωμα*, *eam, quæ maximam babeat dignitatem.* SVETONIUS (δ) de Domitiano tradit: *Cæſar conſalutatus bonorem* PRAETURAE VRBANAE *conſulari poteſtate ſuſcepit.* Quum itaque ſumma rerum, *Conſulari* nempe *Poteſtate* potiretur Sabinus; numquid & hanc circa æs ſignandum, flandumque, quippe jus unice a Conſulum Patrumque arbitrio pendens, exercere ipſi fas erat? Tot, tantaque eidem hac ſuper re prælucebant exempla in-

(α) *Sueton. in Veſp. c. 1.*
(β) *Spanh. de Præſtant. & Uſu Num. Ant. Diſſ. X. p.* 119. *& ſeq.*
(γ) *Plutarch. in M. Brut. p.* 986.
(δ) *Sueton. in Domitian. cap.* 1.

ferioris longe dignitatis Magiſtratuum, nimirum Triumvirorum Monetalium, qui e familiis ſuis defunctos, publica etiam urbis moneta, ad duraturam nobilitatis ac gentis ſuæ memoriam, conſignare non dubitarunt. Ita præ plurimis aliis habebat quoque is exemplum C. Marii Trogi, qui omnem Auguſti familiam in uno exhibuit numo, in quo capita Caji & Lucii Cæſarum, ab Auguſto adoptatorum, una cum Julia eorum *matre*, & Agrippæ conjuge intermedia repræſentabantur: producit hunc conquiſitæ elegantiæ numum Vaillantivs *Tom. II. Numiſm. Præſt. p. 22.* Habebat inſuper exemplum Bruti, qui plane, quod Dio (α) teſtatur, *ἐς τὰ νομίσματα, ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ ἐνετύπου*, *numiſmatibus*, *quæ faciebat*, *ſuam ipſius imaginem impreſſit.*

Eccur igitur filius, ampliſſimo uſus honore aci mperio, matris memoriam æneo numo cohoneſtare aut formidaſſet, aut detrectaſſet? Adſervabat ille in atrio inter avorum maternorum ceras, totidem nobilitatis ac ſplendoris proprii teſtimonia, matris dilectiſſimæ juxta, ac nobiliſſimæ imaginem: iſthanc Triumviro, coelatori, flatori, fabro monetario monſtravit, an conmodavit monetæ incidendam? Hicne denuo confugies ad *ſubreptionem furtivam*? Annon

(α) *Dio XLVII. p.* 341.

Digitized by Google

ſimiliter Veſpaſiæ frater, quem *Senatorem Prætoriæ dignitatis* conpellat SVETONIVS (α), tot aliorum inductus exemplis, in ſororis juxta, atque gentis ſuæ Veſpaſiæ decus, & monumentum perenne, æreum ferire procudereque poterat numiſma ? quum aliunde conſtet, Provinciarum Prætoribus monetæ ſignandæ jus fuiſſe.

Sed iſthic denique locus eſt aliquid dandi, quam toties deprædicaſti, Veſpaſiani *mediocritati.* Poterat fortaſſis nonnihil feriiſſe Principis animum conſpecta matris imago, publico urbis in ære, fratris vel avunculi ſui imperio, ſe aut inſcio, aut etiam invito, conſignata; hinc eam aut ſubpreſſerit, aut aboleverit. En non incongruam aliquam ſingularis Veſpaſiæ numi cauſſam! Simile quid ſupra de æneorum Othonis numorum raritate adnotaveram.

Ex adhuc dictis, & porro dicendis ſatis cognoris, me minime in eas conjectum eſſe anguſtias, uti opus habeam confugere ad ſacram, quam jactitas, anchoram, nimirum AENEAE VICI librum, cui titulus : *Auguſtarum imagines æneis formis expreſſæ.* Interea tamen tantum abeſt, quod tu contendis, ut ejus autoritas numismati meo obficiat, ut po-

L 3

(α) *Sueton. in Veſpaſ. c.* 1.

tius ad propoſitum faciat, quam quæ maxime. Eidem namque falſo adpingis hæſitationem ſuper imaginum, quas adducit, ſinceritate propterea, quod in præfatione dicat: *Hæc quidem*, nimirum picturarum exemplaria, *an vere ex antiquis numismatibus, vel ſculpturis, vel ex ſtatuis deprompta fuerint, non facile adſirmaverim.* Nullum hic indicium *hæſitationis* de exemplarium integritate: hæſitat modo de fonte, unde hauſta ſint. Noverat quippe vir doctiſſimus, diverſos eſſe fontes, unde ii, qui veteris monetæ ſtudiis adtendunt, ſua delibant teſtimonia, videlicet: *Codices*, *numos*, *marmora*, *lapides*, *ſtatuas*, & quæ ſunt cetera his ſimilia monumenta.

Tribus primis, quas ex FULVII libro, quem laudatus VICVS teſtem adhibet, depromptas adducis, matronis, numi honore deſtitutis, alias ex eodem, & quidem multo plures obpono, nominatim: Juliam Auguſti filiam; Liviam ejuſdem uxorem: Agrippinam Tiberii Conjugem; Antoniam; Druſillam & Livillam Caji Cæſ. ſorores; Octaviam Claudii filiam; Valeriam Meſſalinam; Statiliam Meſſalinam; utramque Domitillam, matrem & filiam: harum ſingularum numos recenſet Inluſtriſſimus MEDIOBARBVS; in iſtarum numero & cenſu, & quidem ſerie non interrupta, Veſpaſiam meam locat Andreas FVLVIVS. Cur ergo tu

hanc unam ab reliquarum iſtarum coetu eximis, & monetali prærogativa exuis?

Quid? quod præterea FVLVIO fictionis notam inpingere non vereris? audiamus cauſſam: *Poterat aliquarum matronarum, quæ ibi referuntur, vultus ex monumentis aliis, puta ſtatuis, expingere; at tamen hoc de Veſpaſiani matre iterum inficior.* Adeo nempe firmiter tuo jam animo inſedit opinio, nullum uſpiam exſtitiſſe Pollæ ſeu numiſma, ſeu imaginem, ut FVLVIVM pene cogas in ſtatuis aſylum quærere. Verum, age, hæreamus tantisper in ſtatua! *Cedo*, ſciſcitaris tu, *a quo hæc poſita fuiſſet? a filio? an ab ſenatu?* Senatus autoritatem hic ſupervacaneam ajo: Igitur a filio? ſin minus a Veſpaſiano, ut hoc tibi dem; certe ab Sabino, quem paulo ante audiſti *Prætorem Urbanum*, maxima munitum poteſtate, ſtatuta fuerit. Adcepiſti prius, ſepulcris ſtatuas inponi ſolitas. Inmodicam Romanorum, qua in ſtatuas non tam ferebantur, quam rapiebantur, propenſionem, inſanamque libidinem tu ipſe in Libello, quem *de Numiſmate Auguſti aureo formæ maximæ ex ruderibus Herculani eruto* nuperrime luci publicæ donaſti, & fateris, & priſcis ex ſcriptoribus conprobas. Profecto eo illi proceſſerant, ut non ſolum claro ortis genere, ſed & ignobilibus, imo ipſis adeo mancipiis, & ſcortis, quid plura? brutis animantibus ſu-

perba erigerent monumenta, ac ſimulacra; id quod ſepulcrorum rudera, & inſcriptiones hodieque teſtantur. Sepulcra, ſtatuis carentia, veluti per contemptum *pagas* adpellabant. Unius jam Veſpaſiæ matronæ nobiliſſimæ monumento in conmuni illa, & inolita conſuetudine *ſtatuam* nega ſodes!

Atqui neque a filiis poſitam demus. Numquid Veſpaſiæ fratri, de quo paulo ante ex Svetonio, prætoriæ ſenatori dignitatis aut indecorum, aut inlicitum dixeris ſimili, pro ſeculi genio, ſororis, tot avorum imaginibus claræ, ſepulcrum conluſtrare ornamento? An non ipſa Veſpaſia, adhucdum in vivis degens, *ære ſuo* ſepulcrum ſibi condendum, idque de more ſtatua ornandum curarit, exemplis inducta alienis, quorum teſtes, quæ ſepulcris, ſtatuiſque inſcriptæ leguntur, ſequentes ſunt *ſiglæ*: S. P. P. P. S. C. *ſua pecunia propria poni ſibi curavit.* Annon Pollæ propinquis, neceſſariis, amicis, aliiſve in matronæ hujus nobiliſſimæ, imo auguſti genitricis honorem *ære conlato* ſtatuere fas erat ſtatuam? Hujus iterum teſtimonium præbent Epigraphæ, quæ viſuntur antiquæ: EX AERE CONLATO, & AERE CONLATO. Exemplum adfert Svetonivs (*a*): *Medico Antonio Muſæ* Statvam Aere Conlato *ſtatuerunt.* Huic

(*a*) *Suet. in Aug. c.* 59.

Huic geminum addit Plinius (α): *P. Minutio, Præfecto annonæ, extra portam trigeminam unciaria* Stipe Conlata. Age jam, & ex his, qui potior tibi adriſerit, lege modum, cui cui demum Phidiæ, ſtatuam Veſpaſiæ locandi!

Id, quod hoc loco ex Svetonio, & Dione Cassio addis de Veſpaſiano, *ab Legatis pro decreta ſibi non mediocris ſummæ ſtatua coloſſea*, argentum potius depoſcente, nihil quidquam efficit, præterquam nimiam, quæ Veſpaſiano merito ab omnibus vitio vertebatur, pecuniæ cupiditatem, qua eum incitatum idem Dio (β) tradit: Πολλὰ μὲν γὰρ χρήματα καὶ ἄλλως παρ' ἀυτῶν ἐξέλεξε, μηδένα πόρον, μηδ' ἐι ἐπαίτης τὶς ἦν, παραλιπὼν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων καὶ ἐκ τῶν ἱερῶν ὁμοίως χρηματιζόμενος. *Pecuniam tam multam conlegiſſe, nullo genere tributi prætermiſſo, ut ne mendicis quidem pepercerit, ac de divinis ſacriſque rebus pecuniam fecerit.* Sane Svetonivs (γ) illum adfirmat, & *lotii vectigal* conmentum eſſe. Id genus vectigalis nullum ad ejus tempora exſtabat veſtigium: quid itaque mirum, ſi Veſpaſianus, aliorum Impp. (qui ab amicis, & clientibus, imo ab urbibus loco coronarum & ſtatuarum aurearum,

M

(α) *Plin. XXXIV. 5.*
(β) *Dio LXVI. in Veſpaſ.*
(γ) *Suet. in Veſp. c. 23.*

quæ alias ipſis, maxime poſt decretum triumphum, obferri conſueverant, pecuniam adceperunt magis ſub ratione muneris, quam liberi cujusdam decreti beneficio) exemplum, quo majorem æris vim redigeret, ſtrenue imitatus, pro ſtatua argentum flagitaret? Hac certe ratione J. Cæſarem magnam pecuniæ ſummam coacervaſſe itidem narrat DIO: (α) Πλὴν ὅτι κ᾽ἀν ταῦθα πολλὰ ἠργυρολόγει, τὰ μὲν τινὰ ἐν δωρεᾶς μέρει, ςεφάνυς ϗ ἀγάλματα, ϗ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, λαμβάνων τὰ δὲ ϗ δανειζόμενος δῆθεν, οὐχ ὅτι παρὰ τῶν ἰδιωτῶν, ἄλλα ϗ παρὰ τῶν πόλεων. *Præterquam quod & illic magnam pecuniæ vim cogebat, quam partim in muneris loco, ut ſunt coronæ & ſtatuæ, & id genus alia, partim etiam mutui ſcilicet obtentu, idque non a privatis tantum, ſed ab ipſis quoque urbibus adcipiebat.* Hujusmodi pecuniæ, ſeu *auri Coronarii*, quod uſitato vocabulo nominat TVLLIVS *Orat. 1. Agr.*, & *in Piſon.* ab Jul. Cæſ. toto orbe expilati & exacti, ſumma adſurgit ad numerum duorum millionum, quingentorum & quadragenorum millium, una cum mille & quadringentis aureis (β). En uberrimum fontem, unde auri famem aliquo modo explere poterat avarus Veſpaſianus! hujus aviditatem ac ſordes denuo videris, ut cum laudata abs te alibi mediocritate concilies. Adeo malo nodo malum quæſiſti cuneum!

(α) *Dio XLII. p.* 208.
(β) *Græv. Theſ. Antiq. Rom. T. XI. p.* 1597.

Res tibi in vado jam hærere videtur; hinc vela vertis, et a gemmula arceſſis Veſpaſiæ meæ præſidium, at pariter ſupervacaneum: quippe quo me neutiquam egere ex hactenus dictis adfatim perſpicis. Interim veri eſſe ſimilius adſero ſecundum eorum, quæ ante retuli, rationem, & in gemmis ac annellis, de more tum obtinente, Pollæ enituiſſe effigiem. Quod ſi quæris, cur in antiquarum gemmarum, quas luſtraſti, ſerie hanc tibi intueri non licuerit, utcumque idoneum ex Plinio tibi reddam reſponſum: *Fuit & alia*, verba ſunt ejusdem (a), *Claudii Principatu differentia in ſolis his, quibus admiſſionum liberti jus dediſſent* Imaginem Principis in Annvlo *gerendi, magna criminum obcaſione: quæ omnia ſalutaris exortus Veſpaſiani Principis abolevit.* Si propriam in *annulo* geſtari *imaginem* vetuit Veſpaſianus, quidni & matris in *gemma* effigiem interdixerit circumferri? Quidquid tamen de hoc ſit, totum hoc ratiocinium eo recidit, quo illud, quod ſupra ex Svetonii, & Scriptorum ſilentio contra me evincere adnitebaris, abunde ibidem a me confutatum. Hic modo adjungo id, quo tu ipſe mox in tuæ contra numiſma meum Epiſtolæ limine adverſus Italorum quorumdam antiquariorum uteris, argumentum hujus ſententiæ: *Si univerſi numi illi*, addo gemmæ, *qui hactenus in antiquariorum manus non venere, nigro Theta*

M 2

(a) *Plinius XXXIII. 3.*

præfiguntur, quos tandem habebimus ἀνεκδότους? Et quæ præterea, pergo & percontor ego, ſors illos maneret numos necdum editos, quorum in lucem emittendorum curis honeſtiſſimis obcupari te nunc adeo, quum hæc ſcribo, cum voluptate intelligo? Ad hæc quot, quantarumque rerum notitias pulcerrimas in poſterum conbibituros nos ſperare poſſumus ex ACADEMICORVM HERCVLANENSIVM præclaris laboribus in eruendis, quæ in terræ viſceribus adhuc incognitæ oblitefcunt, Antiquitatis opibus & reliquiis? Harum jam quartum Volumen REGI CHRISTIANISSIMO nuperrime a Legato Siculo oblatum publicæ nuntiarunt Ephemerides.

Id quoque Volumen IV. ad me perlatum recens adcepi, jucundiſſimam mihi adceſſionem ad priora tria, quæ Regia VTRIVSQVE SICILIAE MONARCHAE Munificentia, ac Exellentiſſimi MARCHIONIS TANVCCI, qui ſecundus ab Rege, primusque Regni Adminiſter pari ad Cives, Exteroſque cum Prudentiæ & Aequitatis laude publicam usque modo rem moderatus eſt, benevolentia, propenſisque in me ſtudiis ſimiliter dono mihi obtigere; quod quidem beneficii genus in grati animi τεκμήριον hoc loco memorandum, honorique mihi duco hoc majori, quod, viris niſi primariis, non facile conferatur.

At inter centum & amplius feminarum Auguſtarum capita, quæ in pretioſorum lapillorum conlectione optimæ memoriæ *Joſ. de France* exſtant, nullum ſimile, ſeu vultum, ſeu capilli diſcrimen ſpectes, videre tibi licuit. Iſthoc contra jam diſputavi ſuperius, ubi una dixi, Auguſtarum capita quoad pilorum fabricam cultumque ſibi ſic eſſe ſimilia, uti ovibus ova.

Ad Vicvm reverſus, me juxta recinere eamdem cogis cantilenam, quam tibi in aurem ante inſuſurravi, nimirum me ad ſtabiliendam cauſſam meam non jam indigere numiſmatis, quod ex Fvlvio exhibet Vicvs: quamvis haud diffitear, cultui capitis Pollæ meæ valde quam belle convenire cum eo, quem Vicvs obfert expictum. *Verum diverſa*, obcinis tu, *ſunt reliqua omnia.* Quæ illa? *Epigraphe ſpectato τῷ MAT. magis ad morem antiquum adcommodata.* Vix ab riſu temperaram, niſi noſſem te, virum adſiduis diſtentum curis literariis, ad ſingula animum, in plura ſtudia diſtractum, adtendere minus poſſe: non advertebas tu certe iſthic ad id, quod ſupra *pag. 25.* ſcripſiſti, quum me adrepto ſtylo plumbeo jubebas intrudere MAT. *Tentavi idem*, addebas, *neque tamen niſi pro ſolo M. ſpatium reperi.* Nullam tu tum, quæ MAT. referret, cernebas notam, aut epigraphen; at neque cernere poteras, quippe vetuſtate ero-

ſam. *Vide iconem numiſmatis I. Diſſertationis hujus fronti præfixam.* Ac enim hoc loco tam acutum vides, ut plane diſpicias, quanto propius epigraphe ectypi, ab Vico exhibiti, *ſpectato τῷ MAT.* ad morem antiquum adcedat, ac ea meo in prototypo, quam tibi, ut antehac tuos, omniumque oculos effugerit, hoc tamen mox loco placet reddere adſpectabilem. Vin' ſecundo Nævii ſecem ſilicem?

Literarum ordo, pergis, *aliis limbi partibus reſpondens: vultus alter, magiſque ſenilis: dein ad ſiniſtram converſus, qui tuo in numo dextram reſpicit.* De oris, lineamentorumque habitu, qui in numis adparet, ſuperius jam ſatis ſuperque diſputaſſe me exiſtimo. Quod ad literarum ordinem adtinet, ut tribuam, hunc tuis, in Veſpaſiæ Numiſmatis perniciem æquo plus acutis, oculis videri diverſum ab eo, qui in moneta mea ſpectatur, aliiſque limbi partibus reſpondentem; quid denique hinc eviceris, præterquam ſeu incuriam, ſeu errorem Chalcographi, qui Fvlvii ectypon ſcalpſerat? Quam facile enim, atque proclive ſit in minutos id genus errores incidere ac prolabi, te certe latere minime poteſt, qui tantam jam numorum veterum copiam æri inſculpi feciſti. Verum ſuper his mox plura. *An putas*, ſciſcitando concludis, *diverſa elaborata eſſe typaria Veſpaſiæ?* ſcilicet, quod Pollæ vultus in Vici numo ſiniſtram, in meo

Digitized by Google

autem dextram reſpiciat, atque aliis limbi partibus, ut tibi placet, literarum ordo reſpondeat, diverſa continuo elaborata ſint typaria? Iſthoc qui tu inde efficias, non video: ſatis namque mihi ſit dixiſſe, VICI, aut potius FVLVII ſcalptorem, qui Veſpaſiæ os, e numo petitum, in æs iterum inciderat, aut ſcientem prudentemque, aut errore prolapſum, in alterum converſam latus ſcalpſiſſe Pollæ faciem, atque in literarum, limbum coronantium, intervallis ſeu diſcriminibus dimetiendis, circumſcribendisque minus curioſum ac ſolertem exſtitiſſe. Sin minus hoc placeat, melius ſubgeram: intellexiſti antehac, pro conmuni olim obtinente more, imagines Veſpaſiæ in neceſſariorum, familiæque nobiliſſimæ atriis adſervatas; itidem intellexiſti, ejusdem ſive effigiem, ſive ſtatuas in ſepulcro, aliisve monumentis propalam viſenda exſtitiſſe; quid itaque vetat, quin FVLVIVS, vel ante hunc alius, ex ſuperſtite vetere id genus monumento aut archetypo, aut ectypo imaginem numi ſui deprompſerit?

Sunt mihi bina Veſpaſiani numiſmata ænea, ex integro gemina, ejusdem nimirum commatis, ejusdem formæ, ejusdem anni cum hac epigraphe: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. PON. MAX. TR. POT. P. P. COS. V. CENS. in eo dumtaxat diverſa, quod *caput* Veſpaſiani *laureatum* in altero dextrorſum, ſiniſtrorſum in altero

ſit verſum. In his tu duo agnoſces typaria ? ſit ita; at non neceſſario duo archetypa: poterat alterum apotypon eſſe alterius ſic, ut ſecundi faber a primi typo deſciverit, imaginis faciem in partem traducendo obverſam.

At ſi dixero etiam, duo diverſa, & quidem prototypa elaborata eſſe Veſpaſiæ typaria; nil quidquam edixero novi: nam utrumque in prius dictis jam a me didiciſti. Alterum equidem, ubi ſupra declaravi, ab Alexandrinis ſub imperii Veſpaſiani primordia Pollæ numum, quo materni generis claritudo, Principi novo, ac Imperatori cum maxime naſcenti, ſed qui obſcuro ortus eſſet patre, perhonorifica, in luce & in oculis omnium poneretur, fuiſſe procuſum. Alterum autem, ubi paulo ante oſtendi, a Flavio Sabino, Veſpaſiæ filio majore, Prætoris Urbani, adeoque dignitate & poteſtate maxima prædito, vel etiam a Pollæ fratre, prætoriæ ſenatore dignitatis, in genitricis Auguſtæ, aut ſororis honorem nullo diſpendio monetam æneam potuiſſe ſignari. En bina ex hactenus dictis confecta Veſpaſiæ typaria! queis cumulus, bona venia tua, etiam tertium, imo quartum & quintum in dicendis adcedent: non quod putem, ea reapſe ſingula fabricata, vel ad honorem numiſmatis mei tuendum neceſſaria; verum ut oſtendam,

me

Digitized by Google

me haud perinde inopia, ac copia laborare, utque tibi liberum eorumdem ſingulatim relinquam delectum.

Unum me jam alio, jamque tranſiturum, hoc etiamnum loco tantisper moratur: illa videlicet verba tua, queis hic adſeveras, Veſpaſiæ nullum unquam numum in alicujus Antiquarii manum veniſſe. Quid ſi, jam ex te quæro, JOANNES TRISTANVS, unus e primis ac celeberrimis Galliæ Antiquariis, aliquem Pollæ meæ numum vidiſſet, & adtrectaſſet? Recenſet ille inter alia Veſpaſiani numiſmata unum quodpiam (*a*), cujus antica exhibet effigiem hujus Imperatoris cum epigraphe: VESPASIAN. de poſtica vero ſic loquitur Cl. Vir: *Au revers il y a l'effigie d'une femme ſans inſcription. Cette Médaille eſt de Bronze, & hors de tout ſoupçon de falſité, la quelle le Sieur de Bretagne m'a communiquée; or cette tête ne rapporte aucunement aux effigies & pourfils des Domitilles femme & fille de Veſpaſian, qui ſe remarquent en leurs Médailles, non ſeulement de celles, que j'ai vuës, mais même de celles, que Vicus, Scotus, & Strada nous exhibent. C'eſt donc la difficulté de ſavoir, ſi elle ne repréſente point* VESPASIA POLLA *Mere de Veſpaſian. In poſteriore area exſtat Caput mulieris ſine inſcriptione: hoc numiſma eſt ex ære, atque indubitatæ integritatis, quod mecum communicavit D. de Breta-*

N

(*a*) *Triſtan. Commentair. Hiſtoriq. T. I. p.* 289.

gne. Jam capiti illi nulla prorſus ratione convenit cum Domitillarum, Conjugis & Filiæ Veſpaſiani, capitibus, qualia in iſtarum numis conſpiciuntur effícta, non modo in iis, quos ego vidi, ſed neque in aliis, quos Vicus, Scotus, & Strada nobis produnt. Difficultas igitur in eo ſita videtur, ut ſciamus, annon numiſma repræſentet Vespasiam Pollam, *Matrem Veſpaſiani.*

Hæſitat equidem paulo poſt, & ſubdubitat Vir ille ſapientiſſimus, an non ſors potius Coenidi, Veſpaſiani concubinæ, adſcribendum ſit numiſma. Cauſſa dubitandi præter levioris momenti alias, quas alibi a me convulſas hic non tango, præcipua illi eſt, quod ſecundum Suetonii teſtimonium Coenidem Veſpaſianus ſumme dilexerat, ac pene juſtæ uxoris loco habuerat. Verum bona Viri hujus, de re numaria quam optime meriti, pace dicere mihi liceat, eam infirmam prorſus ac caducam cauſſam videri, tanti certe non eſſe, ut idcirco numus Veſpaſiæ abjudicetur. Quod ſi ulla, hac ſane in re, te, KHELLI AMANTISSME, ſecundum me ſenſurum ſpero: nam quem tu ante pietatis ac mediocritatis adeo ſtudioſum adſeruiſti Veſpaſianum, ut ne quidem matris, feminæ nobiliſſimæ, imaginem æri inſculpi permiſerit; huncne eumdem jam tu cum Tristano eo usque admiſeris inpudentem, ut vel ignobili pellici, & con-

cubinæ publicam conſecrarit monetam, imo illius capiti ſuum in ære jugatum proſtare voluerit? Abſit ab utroque noſtrum hæc Veſpaſiano nimiopere ignominioſa ſententia. Quare quum neque uxori, neque filiæ, neque denique concubinæ Veſpaſiani, neque etiam alteri cuipiam ejus temporis feminæ illud jure tribui queat numiſma, omnino Veſpaſiæ matri ut adjudicetur, neceſſe eſt.

Exempli facem Veſpaſiano prætulere Cajus, & Nero Impp., qui Matrum ſuarum capita ſuis conjungenda curarunt in numis, quorum ſpecimina exhibent Cl. Cl. VAILLANTIVS, & MEDIOBARBVS. Eccur illorum exemplum imitari renuiſſet Veſpaſianus? Ego profecto nunquam induci me patiar, ut credam, eum Veſpaſianum, qui magnificentiſſima æque, atque ſumptuoſiſſima exſtruxit ædificia, & de iis gloriatus eſt; qui ſuperbiſſimum poſt natos homines triumphum, ne pleno quidem jure ſibi debitum, ab ſenatu & decernendum curavit, & decretum ſplendidiſſime egit; quiglorioſiſſima honorum vocabula numis ſuis inſcribi & fecit, & ſuſtinuit (quæ omnia & ſingula in ſuperioribus adfatim demonſtrata ſunt) qui denique ipſum adeo matris Veſpaſiæ nomen adſumpſit, ſuisque inſeruit titulis: eum, inquam, nihilominus credam Veſpaſianum, idem ipſum reſpuiſſe in ære nomen matris illius, a qua omnem natalium ſplendorem, pri-

Digitized by Google

mamque nobilitatis laudem adceperat? Eumdemum credam, in una matris imagine numo æneo inprimenda inanem modeſtiæ famam adfectaſſe, inque hoc dumtaxat uno religioſum tantopere, atque mediocritatis ſtudioſum exſtitiſſe?

Cave obtendas, poſticæ inſcriptionem in eo Tristani numiſmate deſiderari: præterquam enim, quod vetuſtate, tam longo temporis tractu, conſumptæ, ac exeſæ dici queant literæ, ſuper quo & alibi a me pluribus diſputatur; id cuicumque hic ſat eſto, quod numus memoratus, ut ex Tristani teſtimonio liquet, indubitatæ ſit fidei & antiquitatis, atque manifeſto feminæ præferat caput, quod quum nulli alteri ejus temporis mulieri, uti pariter ex prius dictis palam eſt, recte & ratione adtribui poſſit; neceſſario hinc conficiatur, illud eſſe caput Veſpaſiæ. Placuit hanc curſim hoc loco tetigiſſe materiem, non quia credam, iſto mihi opus eſſe argumento, aut eidem robur ineſſe peculiare ad conſtabiliendam numiſmatis mei integritatem ſeu fidem: hæc quippe firma ipſi conſtat, conſtabitque, etſi nunquam in ullius antiquariorum manus neve ipſum, neve ſimile quodpiam Veſpaſiæ numiſma veniſſet, quemadmodum cum ex adhuc dictis, tum ex porro dicendis planum apertumque eſt; ſed ut conmonſtrem, aliquod ſaltem numiſmatis mei veſtigium, ac teſtimonium contra men-

tem atque ſententiam tuam, & hic & alibi declaratam, in celeberrimo Antiquario reperiri. Quid? quod Inluſtriſſimum Antiquariorum Decus SPANHEMIUS ὁ πάνυ hunc eumdem e TRISTANO Veſpaſiæ numum conmemorandum ſibi duxerat in *Diſſertat. XI. pag. 270.*

Jam quæ averſæ numiſmatis mei parti intentas tela, eodem prorſus vultu, fronteque eadem, præs tibi ſum, me excepturum ac diſjecturum, qua quæ in illius vibraſti adverſam. Primum mox arietem, mecum coniſcans, admoves Templa, de quibus inperterrite adſeris: *Si quid hactenus in re numaria didici, id ſcio, Auguſtorum, Auguſtarumque vultibus fere, ſi Templa in poſtica Romani commatis exhibentur, ea conſignata eſſe, quæ aut ab ipſis ſtructa, aut vitio facto ſuis, aut publicis inpenſis fuerant reſtituta.* Id inductis aliquot templorum typis, quorum in antica Principum capita depicta cernuntur, conprobare adlaboras. At mox in oſtio aqua hæret. Pau-

cula ſolum modo, ne longum faciam, hic in contrariam partem adducam exempla; quum alioquin ex Cl. SPANHEMIO (α) notum ſit, *numos cum Templis* cuſos quoque fuiſſe ad *ſignandam Imperatorum in Deos pietatem*, vel religionem.

Sic certe in Vitellii numis, ab VAILLANTIO, & MEDIOBARBO exhibitis, cernere eſt *Templum Jovis Capitolini*, quod adeo Vitellius non condidit, ut potius illud teſtibus DIONE (β), & SVETONIO (γ) incenderit, vaſtaritque; ſed neque id ſuis, aut publicis inpenſis reſtituere poterat, quippe ſenos modo menſes imperio uſus, atque extemplo poſt ejusdem ædis incendium a victoribus Veſpaſiani militibus contrucidatus. Similiter in Vitellii numiſmatibus cuſa videtur *Aedes Jovis Victoris* in monte Palatino poſita; cujuscemodi numum argenteum refert laudatus mox VAILLANTIVS (δ), atque hujus rationem hanc prodit, nimirum quod feſto ejus Jovis die, Idibus Aprilis Romæ celebrato, Vitellii exercitus victor Othonis copias ad Bebriacum ſuderit. En ne γρὺ quidem hic meminit Vir Doctiſſimus ſuper *ſtructura* aut *inſtauratione Templi* hujus!

(α) *Spanh. de Præſt. & Uſ. Numiſm. Antiq. Diſſ. XIII. p.* 527.
(β) *Dio Lib. LXV.*
(γ) *Sueton. in Vitell. c.* 15.
(δ) *Vaillant. Numiſm. Præſt. T. II. p.* 81.

Digitized by Google

In numis Titi, & Domitiani conparet *Templum Pacis*, ut a neutro horum conditum ſit; quippe a Veſpaſiano proximum foro exſtructum atque perfectum. Quid? quod Inl. SPANHEMIVS (α) teſtatur, inter Commodi inſuper numos ſuperbum iſtud Pacis Templum ab ſe Romæ olim viſum, quum tamen, teſtibus HERODIANO (β), & DIONE (γ), id ſub eodem Imperatore dirutum incendio fuerit. *Veſtæ* itidem *Templum* rotundum, quatuor columnis adornatum, *Capiti Domitiani laureato* in poſteriore numi area junctum exhibet VAILLANTIVS (δ); ubi tamen in conperto eſt, Veſtæ ædem primum ſub Numa ſtructam, ac imperante Nerone, funeſto hoc urbis incendiario, cum dimidia decem & quatuor regionum, in quas Roma diſpeſcitur, parte exuſtam, demum a Veſpaſiano refectam, atque ad faſtigium perductam fuiſſe.

Mitto, quod aliorum Auguſtorum, Auguſtarumque Capitibus, ſeu titulis in poſtica paſſim reſpondet Veſtæ Templum, aut Simulacrum, quin ab ipſis de ſuo, vel e publico ſtructum, reſtitutumve ſit: potius dixeris cum doctiſſimis SPANHEMIO, ac VAILLANTIO, Veſtæ Aedem, vel Ico-

(α) *Spanhem. de Præſt. etc. Diſſert. XIII. ſ.* 648.
(β) *Herodian. I.* 14.
(γ) *Dio LXXIII. in Commod.*
(δ) *Vaillant. Numiſm. Rom. Impp. Præſt. T. I. p.* 43.

nem, Auguſtorum vultibus additam, ſupremum eorumdem, tamquam Pontificum Maximorum, imperium ac poteſtatem in ipſas quoque Virgines, Veſtæ ſacras, indicare eadem plane ratione, qua in feminis Auguſtis earumdem denotat pudicitiam, cujus ſymbolum, uti præclare ex INL. SPANHEMIO animadvertit VAILLANTIUS (α), eſt Veſta propterea, quod poſt debellatos Titanes optione habita petendi, quod vellet, continuo Virginitatem petierat. Vnde de eadem OVIDIVS: (β)

I, pete virginea, populus, ſuffimen ab ara!
Veſta dabit: Veſtæ munere purus eris.

Alia hic cauſſa ſubit præterea: eccur nempe Veſtæ ſeu Icon, ſeu Aedes toties in Auguſtorum, Auguſtarumque moneta obcurrat. Eadem quippe colebatur tamquam unum ex præcipuis Urbis, ac cumprimus Domus Auguſtæ, Palatiique *Tutelaribus* Numen, adeo ut jam ſub Auguſto in hujus ipſius palatio Veſtæ Templum decreto ſenatus fuerit poſitum: in hoc eodem palatio, domi nempe ſuæ, ædificavit Auguſtus Aedem quoque Apollinis; diſcimus hæc ex NASONE ita canente: (γ)

Cognato

(α) *Vaillant. Num. Præſt. To. II. p.* 289.
(β) *Ovid. Faſt. IV.* 371.
(γ) *Ovid. Faſt. IV. in fine.*

Cognato Veſta recepta eſt
Limine: ſic juſti conſtituere Patres.
Phoebus habet partem, Veſtæ pars altera ceſſit,
Quod ſupereſt illis, tertius ipſe tenet.
State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus: æternos tres habet una Deos.

Hinc etiam eſt, quod *Dea Palatina*, *inter Cæſareos Penates ſacrata*, & *Cæſàrea Veſta* dicebatur; teſtis VIRGILIVS (α):

Di Patrii indigetes, & Romule, VESTAQUE MATER,
Quæ Tuſcum Tiberim, & Romana PALATIA *ſervas.*

Atque iterum OVIDIVS: (β)

VESTA*que* CAESAREOS *inter* SACRATA PENATES,
Et cum CAESAREA, *tu Phoebe domeſtice*, VESTA.

Mitto jam *Templum Jovis Cuſtodis*, quod numi Caracallæ, a VAILLANTIO (γ) laudati, repræſentant, quin tamen unquam hanc ædem condiderit hic Imperator Antoninus, Caracalla cognominatus. Mitto *Templum Vulcani*, ab Romulo conditum, in Valeriani numis conſpiciendum, quod ab hoc fabricatum, aut renovatum nemo unus certa autori-

(α) *Virg. Georg. I.* 498.
(β) *Ovid. Met. XV.* 864.
(γ) *Vaillant. Num. Præſt. T. I. p.* 122.

Digitized by Google

tate evicerit. Mitto denique quam multa alia ſeu Templa, ſeu Simulacra, *Providentiæ*, *Pietati*, *Pudicitiæ*, *Fortunæ Virili ac Muliebri*, *Marti*, *Jovi O. M.*, *Jovi Conſervatori*, cujus Templum in plurimis Impp. numis obcurrere tradit SPANHEMIVS (*a*), & id genus aliis ex infinita Deorum, Dearumque turba inſcripta, atque Auguſtorum, Auguſtarumve imaginibus altera in area adjecta; quæ cuncta (uti ante jam ex Eruditiſſimo SPANHEMIO innui, ac paſſim in dilaudatis VAILLANTII Voluminibus *I. & II. Numiſm. Præſtantior.* legere eſt) partim peculiarem, qua ii Principes ejuscemodi Numina proſequebantur, religionem, partim ſingularia, ſperata aut inpetrata eorumdem ope beneficia, partim denique varias titulorum, honorumque prærogativas, atque mutuas Auguſtorum, Auguſtarumque cum Diis, Deabusque conparationes indicabant, prodebantque. Iſthæc ſi tu iis, quæ hoc loco de Templorum fabrica, inſtauratione, atque dedicatione diffuſe diſſeris, addas; næ tum omnes hujus argumenti abſolviſti numeros.

Templa Pacis, & Claudii una cum quibusdam aliis, quæ tu hoc loco adducis, ego non moror, qui ultro & lubens fateor, iis in poſteriore numiſmatis mei area locum non eſſe relictum.

(*a*) *Spanh. de Præſt. & Uſ. Num. etc. Diſſ. XIII. p.* 645.

Ad Veſtæ Templum redeo; hoc adeo ajo ipſum poſticam Veſpaſiæ numi pleno jure poſſidere: neque tu diffiteris, eidem ſatis belle cum Veſpaſia mea convenire. At mox religio, an pœnitudo? animum ſubit tuum: *Aſt quis neſcit*, exclamas, *rotundum illud fuiſſe?* Ita profecto: rotundum erat Veſtæ templum; num non fors tale meo ſe ſiſtit in numiſmate? anne tu, VIR OPTIME, præjudicatis opinionibus, & falſis imaginibus animum, oculosque ſic geris in numum meum armatos, ut vel in meridie cæcutiant, quo minus videant θολοειδῆ templi in eo repræſentati formam, ſeu rotundum in medio tholum, de quo Ovidius (α):

Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulacra putavi;
Mox didici Curvo *nulla ſubeſſe* Tholo.

Atqui quaternæ in eo conſpiciuntur columnæ, ſtatuæ item. Ita equidem: ſtatuis ſeu figuris ornatum profert Vaillantius (β) in numis Titi, & Veſpaſiani. Tetraſtylon paulo ante tibi obtuli ex eodem Vaillantio. Tale quoque, nempe quatuor columnis inſigne, proponit Graevius in *Antiq. Rom.* Volumine V., in cujus *pagg. 629.* & *641.* cernere eſt conplures Veſtæ Templi imagines, ei, quam nu-

O 2

(α) *Ovid. Faſt. VI.*
(β) *Vaillant. Num. Præſt. To. II. p.* 98.

miſma meum depictam obſert, examuſſim reſpondentes: has conſulendi ſi aut animus tibi, aut otium fuiſſet, quale demum cumque arietum, in Templi numo meo deſignati typum ac formam a te libratorum, robur protinus fractum, elumbatumque vidiſſes. Tetraſtylam præterea Veſtæ ædem ex numis antiquis producit Magnus SPANHEMIVS (α), ubi addit: *E gracilitate columnarum agnoſcis, ut opinor, ordinis illud*, Veſtæ Templum, *eſſe Corinthii, de quo nota ſunt, quæ tradit* VITRVVIUS (β): *Tertium vero, quod Corinthium dicitur, Virginalis habet gracilitatis imitationem.* Adpoſite omnino dictum ad Veſtæ Virginis Templum. Idem *Diſſertatione mox laudata*, non inſolitum in variis priſcis numis eſſe adſerit, quod exterior ſolum ſacrarum Aedium *Frons* abſque interiore *Cella* in iis ſit expreſſa; id quod diverſis Templorum antiquorum ſpeciminibus, in medium prolatis, præclare, quod ſolet, conſolidat. Hinc & in Veſtæ Templo *Frontem* Tetraſtylam ab ejusdem *Cella*, & tholo rotundo ut diſcrimines, oportet.

Quod de Veſtæ Templo, in Juliæ Domnæ numo aureo *Cimelii Auſtriaci*, proſtante cum epigraphe VESTA. ſubdis, atque ex VAILLANTIO contra me conficere niteris;

(α) *Spanhem. Diſſert. XIII. p.* 647.
(β) *Vitruv. IV.* 1.

pro me facere mox advertes. VAILLANTIVS, quum huic geminum profert numiſma (*a*), adjungit: *Illud*, Veſtæ Templum, *reſtauratum fuiſſe* VIDETVR *Juliæ munificentia.* Cur hoc? quia *Palladium Veſtales in aulam Imperatoris tranſtuliſſe* narrat HERODIANVS; *quum illud*, *flamma abſumpto Veſtæ templo*, *nudum conſpiceretur.* Verum ecquis, quæſo, (bona pace VAILLANTII, Viri de ſupellectile numaria tantopere meriti, id dixero) his ex verbis HERODIANI effecerit, Veſtæ Templum a Julia Severi refectum? Quid? quod HERODIANI modo adlata verba ne ulla quidem ratione ad Juliam hanc pertinent? arſit namque, teſte eodem, Veſtæ templum cum plurimis aliis ædificiis ſub Commodo, atque tum quoque *Palladium* ex eodem in aulam Imperatoris, puta Commodi, translatum erat: qui igitur hæc verba ad Juliam Domnam, Severi Imperatoris, qui Commodo poſt Pertinacem, & Didium Julianum ſubceſſerat, uxorem ſecundam referas? Videtur id ipſum ſuboluiſſe VAILLANTIO; hinc neutiquam auſus eſt aperte adfirmare, Veſtæ templum ab hac Julia *reſtauratum eſſe*, at *videri* ſolummodo: nullum equidem teſtimonium ſolidum, aut tutum in promptu habebat, quo ei ſententiæ fidem vel autoritatem conciliare eſſet potis. Quare confeſtim eodem loco, filo minime interrupto, aliud ſuperiori ſimillimum, quod tu diſ-

(*a*) *Vaillant. Tom. laud. p.* 238.

ſimulaſti, ex argento ſubjicit numiſma cum Veſtæ pariter templo, in cujus aditu ſacra facit Julia, *ut Veſtam ſibi*, verba ſunt VAILLANTII, *Domuique Auguſtæ propitiam reddat.* Nihil iſthic amplius mentionis de *reſtauratione Templi*, quantumvis licet eadem Dea, Auguſta eadem, eadem epigraphe, idem repræſentetur templum, ſacrificium idem. Profecto poſterior iſthæc VAILLANTII ſententia & veritati propior, & iis, quæ tum ex eodem ipſo, tum ex SPANHEMIO ſupra recitavi, magis videtur conſentanea, ac prior illa, incerto nixa fundamento. Referre hæc placuit, ut iterum videas, Matronarum numis non ea modo inſculpta templa, quæ fors ipſarum munificentia ſint inſtaurata; ſed vel maxime etiam ea, quorum Numen aut peculiari ab ipſis cultu & religione honoratum, aut beneficii cujusdam inpetrandi, inpetrative gratia ſalutatum fuit.

Requiris porro Inſcriptionem in Veſtæ templo, quod numiſmatis mei aream obcupat poſteriorem. Verum, præterquam quod tu ipſe mox adſentiris, abeſſe nonnunquam inſcriptionem: *quia Aedes hæc jam inde a Denariis familiæ Caſſiæ erat notiſſima;* hanc alteram inſuper addere potes cauſſam, videlicet: Veſtæ ædis adeo diverſam a plerisque aliis ejus ætatis templis fuiſſe formam, ſicque obviam & in vulgus cognitam, ut nota indice, aut charagmate cer-

Digitized by Google

to opus haberet minime. Adcedit, quod & alia templa absque ulla epigraphe in conplurium Auguſtorum numis ſpectanda ſe præbeant.

Neque inconcinna illa eſt ratio, quam poſtremam pro me tibi objectas: *Interiiſſe Hiſtoricos, notum ſatis fuiſſe Templum iis, qui ætate proxima vixerunt; in omnium manibus verſari numos VICTORIA. AVG. inſignes, typo ſolito magno numero ſub diverſis Auguſtis cuſos, quin Gens memoretur, aut Provincia, unde lauri demeſſæ: ſatis nempe notum erat populo Romano, unde triumphales hæ monetæ proficiſcerentur.* Hactenus peroportune ad rem meam. Jam audire lubet, ut hæc evertas: *Notum item ajo*, proſequeris, *ſubjectis Romano orbi Provinciis, nunquam aciei formam, evolutionum caſus, & quæ ad rei geſtæ ampliorem notitiam facere poterant, ut apud nos in chartis, tum in numis depingi in more fuiſſe: aſt ſi de ædificio ſacro ab ædilibus curato res erat, pro ea, qua in publica monumenta, & perpetuam memoriam ferebantur propenſione monetarii, remotiſſimis Romani Imperii populis operis magnificam ideam communicatam volebant, non vaga aliqua Templi cujuscunque, ſed ejusdem, quod ſeu* Erectvm, *ſeu novo ſplendore* Refectvm *erat, ut numi ferebat area, orthographia ſummis ſaltem lineis adumbrata.*

Digitized by Google

Et iſthæc perbelle dicta; ſed horum nihil quidquam contra mei numi Templum. Jam iis, quæ de Templorum priſcorum, in numis conſpicuorum, ſeu *Erectione*, ſeu *Refectione* præmiſi, viam obvallavi. Neque conditum a Veſpaſia mea, neque inſtauratum eſt Veſtæ Templum: interim tamen minime vaga Templi cujuscumque, ſed ejusdem, quod a Nerone coeptum, & a Pollæ meæ filio minore Veſpaſiano perfectum conſtat, Veſtæ Templi orthographia meo in numiſmate adumbrata conparet.

Eodem pacto mihi ediſſerere fas ſit de Templo, quod Veſpaſiæ numus ſiſtit, quo VAILLANTIO de eadem Veſtæ æde, in numis Titi, & Domitiani obvia; hanc Vir iſte Eruditiſſimus adſerit, propterea iſtis inſertam numiſmatibus, unaque Tito, & Domitiano dicatam, quod eadem ab iſtorum patre Veſpaſiano ad culmen fuerit perducta. In eamdem fere ſententiam loquitur de numiſmate Caracallæ, in quo Hercules, & Bacchus cum epigraphe DI. PATRII. cernuntur: hos, ait, ideo hacce in moneta exhiberi, patriosque a Caracalla adpellari Deos, quod Severus ejusdem pater iis, ſummopere ab ſe cultis, maximum, teſte DIONE, Templum ædificaſſet. Quidni igitur de Veſtæ templo germana plane ratione dicam, iſtud Veſpaſiæ numiſmatis poſticæ inciſum propterea, quod idem ab ejus filio exſtructum,

atque

Digitized by Google

atque ad perfectionem adductum fuerat? Accedunt inſuper bina illa, quæ ſupra de Veſta, pudicitiæ ſymbolo, & cuſtode, conſervatrice, atque domeſtica Domus Auguſtæ, palatiique Dea, jam protuli, non minus congrua argumenta. *Nihil ſanctius*, rurſus ad propoſitum oportune VAILLANTIUS (α), *Auguſtæ habebant, quam ut caſtæ apud populos exiſtimarentur.* Hinc toties in earumdem numis Veſta exhibetur pro pudicitiæ typo. Idem tradit alibi (β): *Mamæam Auguſtam*, in numis argenteis, *ſub effigie* VESTÆ *repræſentari ad indicandam illius* PUDICITIAM. Imo hæc ipſa, nimirum pudicitia, adteſtante rurſum eodem (γ), *ut Dea Romæ culta eſt, & quidem ab omnibus feminis: nam una Patritia, altera Plebeja erat, diverſaque habebant templa, unum in foro boario, alterum in vico longo. Nihil enim carius habuiſſe Auguſtas quam pudicitiam, teſtatur ſæpius in earum numis repetita ejus epigraphe.*

Quodſi hæc, ut cuique alteri ſubſectura putem, tibi necdum faciant ſatis; non tam propter neceſſitatem, quam copiam, quo delectum facere poſſis, aliud hic adjicio præterea. Conpertum, atque exploratum habetur ex priſco-

P

(α) *Vaillant. Num. Præſt. T. II. p.* 102.
(β) *Vaillant. Ibid. p.* 289.
(γ) *Id. Ib. p.* 318.

rum codicibus, ac monumentis, Templa ipſis quoque ſepulcris fuiſſe inpoſita. Sic propter Ophelti ſepulcrum ædem ſacram, & aram conſpicua fuiſſe tradit PAVSANIAS (α); juxta quocum ſentit & STATIVS (β):

Mirum opus acceleraſſe manus, ſtat ſaxea moles,
TEMPLVM *ingens*, CINERI.

Similiter Valerii ſepulcrum erat prope Aeſculapii Templum; id quod teſtatum facit ſequens inſcriptio Hiſpanienſis (γ):

OSSA. NOSTRA. POSSE. MELIVS
ADQVIESCERE. QVAM. PROPE. TEMPLVM. AESCVLAPII

Prætermitto conplura id genus teſtimonia alia, uti ad ſcopum præfixum citius, propiusque adtingam. Supra multum ſuperque audiſti ex SVETONIO, conplura Veſpaſiorum familiæ *monumenta* exſtitiſſe. Audiſti pariter in monumentis vel maxime numerari *ſepulcra*; his nunc adeo conperiſti crebro *Templa* fuiſſe adjuncta, aut inpoſita. Quid ſi igitur

(α) *Pauſan. Corinth. p.* 57.
(β) *Stat. Theb. VI.* 242.
(γ) *Nicol. de Sepulcr. II.* 15. 6.

tribuam Veſpaſiæ meæ locum in majorum, familiæque *monumentis*? An non enim proximum vero credam, ipſius cineres ibi quieſcere conditos, ubi avita erant *ſepulcra* & *monumenta* cum vicinis, aut inpoſitis *Templis*? Quid ſi hujus opulentiſſimæ, ac nobiliſſimæ matronæ *ſepulcro ipſi*, aut *proprio*, aut *conlato ære*, de quo ſimiliter plura ſuperius, *Templum* eſſet adjectum, aut ſuperſtructum? Iſtius itaque, vel alterius cujuspiam ex gente Veſpaſiorum, cui Pollæ ſepulcrum contiguum erat, Templi icon numiſmatis mei poſticæ adpingi areæ poterat. Neque opus hic inſcriptione, quum hujus templi forma æque tum viventibus cognita perſpectaque foret, atque alia, de quibus toties, Veſpaſiæ gentis monumenta, quorum tamen diſtincta nulla, neque in SVETONIO, neque alibi obcurrit deſcriptio, vel adumbratio.

Aliud itidem hic conmemoraſſe non injucundum ſit. Meminit PANCIROLLIVS (α) ex RVFO templi Veſpaſiani, in Regione Vrbis octava ſiti; hoc a Tito in honorem patris excitatum numorum ope conprobant VAILLANTIVS, & MEDIOBARBVS: neque id a veritate alienum videri debet, quum Numophilorum neminem lateat, Veſpaſianum a Tito Divorum numero inſertum eſſe, atque adeo & templo honorari debuiſſe, propterea quod tum obtinebat, ut conſe-

(α) *Panciroll. Comment. de XIV. Vrbis. Reg. Reg. VIII.*

cratis præter honores alios & Templa decernerentur. Numne mihi haud permiſſum ſit dicere, id, quod in numo meo conſpicuum eſt, Templum eſſe Veſpaſiani, modo memoratum? Quid ſi hac obcaſione una adſeram hanc ipſam Veſpaſiæ meæ monetam a Tito nepote eſſe ſignatam? quid enim prohibet, quin dicam? Explorata eſt Titi clementia, & pietas in omnes, & cum primis in patrem, eccur non in hujus matrem? Titum teſtatur Inl. Baro DE LA BASTIE (*a*), cui & numorum ſubfragatur autoritas, omnium fere Deceſſorum ſuorum reſtituiſſe numiſmata adeo, ut & Othonis, licet Principis tantopere effeminati, memoriam redintegrare non dubitaverit: numiſmata quoque Liviæ; item Agrippinæ, Caji matris, teſte eodem, innovavit. Hic itaque Princeps, qui tot aliorum, ad ſe minus pertinentium, numiſmata reſtituit; qui Othonem mollem, omnibusque infenſum, Agrippinam præterea feminam ambitioſiſſimam, Caligulæ matrem, in ære veluti redivivos præſtitit: hic, inquam, Princeps unam genitoris ſui matrem neglexerit, aut oblitus ſit, a qua & ipſe omnem ſtemmatis materni claritudinem, & pater Veſpaſianus ſuum nomen, primamque nobilitatis laudem ſortiti ſunt? Super Templi Veſpaſiani forma, cave, quid hoc loco objectes: paulo enim poſt præbebitur campus pluribus de Aedium ſacrarum formis diſceptandi. Placuit iſthæc ſuperio-

(*a*) *La Science des Méd.* T. *I.* p. 286.

ribus velut cumulum adjicere, quo apertius pericliteris, penum mihi, quum de numiſmatis mei area utravis tuenda, ornandaque agitur, adeo tum non eſſe anguſtam, ut etiam argumentorum, ſententiarumque adfluat varietas, & juxta delectatio.

Decempeda armatus Architectum jam induis; ſed bono tuo, & meo fato perſonam hanc diu non ſuſtines, omnemque paucis ſcenam abſolvis. *Romanos Veſpaſiani, aut vicina filiorum ætate nequaquam meo in numo ſuum aliquod ædificium agnituros fuiſſe*, dicis, *in ſtatuas coronidem prementes ſolum intentus.* Quam ob rem Romani nihil quidquam ſuæ meo in templo agnoſcant artis? *Dimenſionem ſi exigis*, reponis tu, *ſedentium ſtatuarum, coloſſeæ erunt, inferiores ſuperaturæ.* Largiar id tuis, in numiſmatis mei perniciem armatis, oculis ſic videri, aliter dubio procul judicaturis, ubi nudi, & integri ſtatuas, quales ipſis imago, hujus libelli fronti præfixa ſiſtit, examinarint, dimenſique fuerint. Interea ad illud enervandum ecce tibi ex Eruditiſſimo Spanhemio (α) typum alterius ædis ex ævo Flaviano, Templi nimirum *gentis Flaviæ*, ſeu *Minervæ Flavianæ*, a Domitiano, teſte Suetonio (β), excitati, cum ſingulari inſcriptione: AETER-

(α) *Spanhem. Diſſert. XIII. p.* 649.
(β) *Sueton. in Domit. cap.* 5.

NITATI. FLAVIORVM. In hujus ingreſſu ternæ viſuntur ſtatuæ pedeſtres, ſeu in pedes erectæ; ipſi autem ejusdem faſtigio inſiſtunt ſingulæ utrinque ſtatuæ equeſtres: haſce tu, cum inferioribus illis conlatas, jure meliori exclamaveris eſſe *coloſſeas*. Verum ut ne effugii locus relinquatur tibi, fors obtenturo, eas equeſtres eſſe ſtatuas; en aliud ex eodem Spanhemio, & quidem eodem mox indicato loco, *δεῖγμα Templi Concordiæ*, a Tiberio, Auguſto adhucdum ſuperſtite, dedicati! hujus faſtigium ſuperbit variis pariter condecoratum ſtatuis pedeſtribus, quarum mediæ binas inferiores, in ingreſſu ſtatutas, magnitudine ſin minus ſuperant, at certe exæquant, quemadmodum typum inſpicienti manifeſtum eſt. Et tamen Spanhemius *ὁ πάνυ* addit: id ipſum Templum inter maxime notabiles Regiæ Gallorum gazæ numos ſpectari.

Silentio prætereo varias Templorum icones, quas ex mei Cimeliarchii numis conſpectui tuo, ſi copioſior eſſe velim, ſiſtere poſſim; in quibus ſtatuæ ſuperiores cum inferioribus non ea, quam tu exigere videris, adcurata ad regulam proportione ſibi reſpondent, quin eapropter vel rei numariæ tironi ſuſpicio ſuper eorum integritate in mentem venire queat. An putas fabros, aut cœlatores monetarios circino uſos in ære incidendo, ſignandoque, quemadmodum ſolent geo-

metræ noſtri, vel architecti in adumbrandis, expingendisque ſuper chartam ædificiorum orthographiis? An credis, monetæ publicæ fabros temporibus Flaviorum in effingendis numis æneis, præſertim iis, in quibus obvia quæpiam fabrica, qualis Veſtæ Templi, repræſentaretur, adeo delicatos, atque religioſos exſtitiſſe? Ubi de eorumdem *negligentia*, & *frequentibus lapſibus* ipſe adeo doctiſſimus FROELICHIVS tuus (α) conqueri coactus eſt, quibus, ait, *ipſam typorum varietatem & copiam, ſub Veſpaſiano, Tito, ac Domitiano adhibitorum, occaſionem præbuiſſe.*

Acroteria deſideras præterea? Inſpice, quod ſupra ex SPANHEMIO conmemoravi, Veſtæ templi formam, & monſtra mihi ibi acroteria, ſi placet! Nullam quoque acroteriorum mentionem facit VAILLANTIVS in ullo, quotquot enarrat Veſtæ templorum, ut horum ſtatuas, & columnas exacte percenſeat numerando. Et certe quamvis in priſcis Templis, cumprimis magnificentioribus, acroteria nonnunquam numis conſignata intueri liceat; tamen in palatiis potiſſimum, ædibusque Veterum profanis acroteria, ſeu faſtigiorum ornamenta obtinebant, teſtante id VITRVVIO, veteris architecturæ Magiſtro (β): *Et ipſarum* AEDIVM

(α) *Froelich. IV. Tentam. p.* 420.
(β) *Vitruv. III.* 2.

ſpecies ſunt baricæ, baricepbalæ, bumiles, laxæ, ornantque Signis *fictilibus, aut æreis inauratis earum* Fastigia.

Umbras tibi denuo movent, luminibusque tuis obſiciunt ſtatuæ *ſellulariæ*, queis ædificii frontem deformari contendis. Sed quid obpones tandem, ſi tibi oſtendero, ipſam ſors hujus templi indolem iis ornari flagitaſſe? Ex priſcorum teſtimoniis, numorumque fide exploratum habetur, Deorum ſtatuis ſolemne fuiſſe ac proprium, ut *ſedentes* ſingerentur. Ita Plinivs (α), ubi Trajani moderationem extollit, quod mortalis divinos honores ſibi non adrogaret: *Horum*, inquit, *unum ſi præſtitiſſet alius, jam dudum radiatum caput, & medios inter Deos* Sedens, *auro ſtaret, aut ebore*. Simili pacto Capitolinvs (β) narrat, Macrinum Imperatorem, quum Baſſianum inter Divos referendum curaret, duas quoque *ſtatuas ſedentes* ipſi decreviſſe. Eadem quoque de cauſſa virorum Principum, inter Deos relatorum, figuras & ſimulacra, in Thenſis devecta, *ſedentium* habitu referunt numi. Obvios modo, qui nempe primi mihi obcurrerunt, hic ex Vaillantii *Numiſm. Præſt. T. II.* ſiſto: profert iſte Eruditiſſimus numariæ ſupellectilis promuſcondus *pag. 99.* numiſma argenteum inpendio rarum ac

(α) *Plin. Paneg. c. 52.*
(β) *Capitol. in vit. c. 6.*

ac præſtans, Thenſam continens, in qua ſimulacrum *ſedens* Veſpaſiani, inter Divos relati. Alterum aureum præſtantiſſimum exhibet *p. 167.*, ubi viſuntur duo elephantes ducentes Thenſam, in qua *ſedet* Fauſtina, recens Deabus adſcripta, habitu Cereris, d. ſpicas gerentis. Tertium denique pariter aureum, ac ſingularis raritatis adducit *p. 114.*, in quo iterum Thenſa, a binis elephantis vecta, ſupra quam figura Nervæ *ſedentis*. Exiſtimabant videlicet Veteres, Diis ſedendi honorem convenire præprimis; quum ſedendi habitus quoddam veluti æternitatis ſymbolum eſſet, propterea quod *ſecuritatem, & conſtantiam* portendebat. *Fortuna (a) ſuper Cylindro ſtans omnibus mala ſignificat, propter baſis ipſius periculoſitatem; ſemper bona eſt* Sedens, *& reclinata:* Securitatem *enim, &* Constantiam *per ipſam figuram demonſtrat.*

Quid itaque, ſi binæ, quæ fronti Templi mei ſuperſedent *ſellulariæ*, Deorum ſunt ſtatuæ, ut certe ſunt; quum quidem veterum ædificia, præſertim ſacra, idolorum ſcaterent ſimulacris? quid, inquam, tu denuo obcines illud tuum *Stantes hoc loco, aut in humerum, baſi aliqua adjutas, decumbentes ſtatuas eurythmia exigit?* Perinde quaſi ſeu ſtructor templi, ſeu monetæ flator ſecus, ac tum ſimili in obcaſione ſeculi mos aut genius poſtularent, ad inportunæ eurythmiæ

(a) *Artem. d. II. 42.*

leges adſtringere ſeſe debuiſſent. De Fronte & Tympano antehac ſat egi. Ad finem jam hujus argumenti delapſus concludis quærendo: *Ubi decor ille, & majeſtas, quæ ex Templo Pacis in Flaviorum moneta elucet?* Tune eamdem reliquis in Templis expoſcere audes majeſtatem, atque venuſtatem, quæ in *operum omnium totâ urbe maximo, & pulcerrimo*, quod vocant Templum Pacis, quotquot de eo ſcripſere autores, promicat, & exſplendeſcit? quæ igitur huic præ illis reliqua foret pulcritudinis laus, atque prærogativa?

Cetera tu *in paginis*, hanc proxime præcedentibus, *triceſima ſexta, ac quarta* ultro largiris, ab antiquis ſcalptoribus nonnunquam in numis aliqua architectonica bellaria, & ornamenta negligi, atque modo ædificii corpus, vel orthographiam, ſummis ſaltem lineis adumbratam, exhiberi. Et ita ſane in ſtatuis præcipue, & figuris uſuvenire numorum conplura docent exempla. P. PEDRVSIVS ex Societate tua, in veteris monetæ obſicio inſigniter verſatus, *Muſei Parmenſis* exhibet numiſma, cujus aream poſticam explet ante memoratum Pacis Templum, a Veſpaſiano nove excitatum. Eſt id hexaſtylon cum quinis ſtatuis infra poſitis, quarum media altari inſidentis habet ſpeciem; faſtigium quinæ pariter ornant, quarum media volucris, binæ proximæ utrinque equeſtres. Idem exhibet ANGELLONIVS in ſua *Hiſtoria Auguſta*;

at quanta cum figurarum, ſtatuarumque diverſitate? exhibet enim infra ternas ſolummodo figuras, & inſuper quam diſcrepantes maxime ab illis, quas numiſma proponit Parmenſe: ſupra in faſtigii medio ne animata quidem figura, & duæ ex utroque latere proximæ, quæ in Parmenſi equeſtres, in hoc conparent pedeſtres, & haſtatæ præterea.

Verum non tantum modo quoad ſtatuas, & figuras, id quod tibi placet; ſed quoque quoad columnarum formam, & numerum, imo vel quoad faciem ipſam eadem in numis Templa diverſam ſæpe nanciſcuntur imaginem. Sic DIVO JVLIO EX S. C. exſtructum ab Auguſto in foro Templum, quod inter hujus numos hodieque viſitur, Pycnoſtylon, ſive crebris ornatum columnis fuiſſe tradit VITRVVIVS (α). Hoc non obſtante SPANHEMIVS (β) bina adfert numiſmata, quæ hanc Julii Aedem tetraſtylam, ſeu quatuor ſolum columnarum repræſentant cum faciebus inſuper, ſive ædis frontibus, utcumque ab invicem diſſidentibus. Similiter VAILLANTIVS (γ) prodit numum argenteum, in quo templum *Minervæ Flavianæ*, a Domitiano in Regione urbis ſeptima excitatum, ſpectandum ſepræbet tetraſtylon, ſeu cum qua-

Q 2

(α) *Vitruv. III. c.* 2. *p.* 41.
(β) *Spanhem. Diſſert. XIII. p.* 649.
(γ) *Vaillant. T. II. p.* 105.

tuor columnis; quamvis illud loco ante laudato SPANHEMIVS referat hexaſtylon. Hac obcaſione non poſſum, quin denuo novam quampiam pro tuendo numiſmatis mei honore promam ſententiam: nimirum quod in eo viſitur, id ipſum eſſe poſſe templum, cujus nunc adeo memini, *Minervæ*, ſive *gentis Flaviæ* nuncupatum. Aedem tetraſtylam ſiſtit numiſma meum; ejusce quoque modi Flavîana, ut modo cognoviſti, oſtenditur a VAILLANTIO. Ceteroquin ex hactenus dictis abunde conjicere poteras, antiquos ſcalptores non usque eo religioſos exſtitiſſe, quo minus quandoque in numis ſive ſtatuarum formas habitumque, ſive columnarum ordinem numerumque, ſive ipſorum etiam periſtyliorum, & veſtibulorum ſpeciem atque conformationem inmutarent, aut quæpiam plane prætermitterent, in ſummis modo ædificii lineis adumbratis adquieſcentes.

Neque difficultas aliqua in eo obverſari poteſt, quemadmodum Domitianus Aviæ honori ac memoriæ numum decernere potuerit. Idem namque, quod pro Tito ſupra eam in ſententiam adtuli, & pro Domitiano pugnat. Reſtituit hic quoque Deceſſorum ſuorum numos, exemplum Titi fratris conſectatus: quin ergo monetam ſignaſſet aviæ, ex qua optime norat, primum, maximumque nobilitatis ſplendorem genti ſuæ, antehac obſcuræ, adfulſiſſe?

Adcedit, quod Princeps iſte, alioquin ultra modum ambitioſus, ſumptuoſiſſimum illud genti Flaviæ erexerit Templum, in quo Principum ex hac gente defunctorum condebantur reliquiæ; quemadmodum quidem de cineribus Juliæ, Titi filiæ, luculenter docet SVETONIVS (*a*): *Phyllis nutrix reliquias*, cadaveris Domitiani, TEMPLO FLAVIAE GENTIS *clam intulit*, CINERIBVSQUE JVLIAE *Titi Filiæ commiſcuit.* Qui itaque Aedi Flavianæ, ab ſe excitatæ, cineres Juliæ, fratris filiæ, intulit Domitianus, eumdem ſepulturæ honorem negaverit Veſpaſiæ, genitoris ſui matri, ac primo Flaviani ſtemmatis, ſplendorisque fonti? Qui eamdem fratris ſui filiam conpluribus poſt mortem numis, ipſius honori flatis, poſteritati conmendavit, is patris ſui matrem, nobiliſſimum Flaviorum decus & ornamentum, in ære redivivam ſiſtere aut timuerit, aut neglexerit? His poſitis, quid facilius, quid convenientius, quam ut dicam, templum fors eſſe Flavianum, quod in Veſpaſiæ numo repræſentatur?

Interea haud quaquam is ſum, qui putem, aut contendam, templum averſæ numiſmatis mei arte, manuque inſignis alicujus ſcalptum eſſe Myronis, quem PETRONIVS tradit in tractando ære ſic fuiſſe exercitatum, egregieque verſatum, ut pene animas hominum, & ferarum in æs transfun-

(*a*) *Sueton. in Domit. c.* 17.

dendi artem calleret. Ipſius certe juvenca ærea priſcorum conpluribus Poetarum cantus materiem ſubminiſtravit. De hac Avsonii ſequens exſtat Epigramma:

Bucula ſum cælo genitoris facta Myronis
Aerea: nec factam me puto, ſed genitam.
Sic me taurus init; ſic bucula proxima mugit;
Sic vitulus ſitiens ubera noſtra petit.
Miraris, quod fallo gregem: gregis ipſè magiſter
Inter paſcentes me numerare ſolet.

Ipſe etiam Anacreon meus (α) de eadem feſtive juxta, ac argute, quod ſolet, canit:

Βοίδιον ἐ χοάνοις τετυπωμένον, ἀλλ᾽ὑπὸ γήρως
Χαλκωθὲν σφετέρῃ ψεύσατο χειρὶ Μύρων.
Tempore in æs verſam, non flatam ex ære, juvencam
Propriæ opus dextræ finxerat eſſè Myron.

Quod Poeta Gallus ſic convertit:

Non, en moule jamais elle ne fut jettée
Cette Vache; le tems l'a changée en airain;

(α) Ανακρέοντος Επιγραμμα ς΄.

Et Myron ſe parant d'une gloire empruntée,
Fit croire qu'elle étoit l'ouvrage de ſa main.

Minime, inquam, contendam, templum meo in numiſmate conſpicuum, celeberrimi hujus, aut alterius cujuspiam præſtantis ſcalptoris eſſe opus; id modo contendo, illius orthographiam, & ſummas ſaltem lineas ſic eſſe effictas, ut in antiquarum monetarum numero cenſeri non minus mereatur, quam conplura alia numiſmata, vel ex meo Cimelio proferenda, in quibus Templorum inſculptorum figura multo rudior, ac vilior conparet, atque in meo, quin tamen ullus eadem eapropter ſpuriis adcenſere auſit. Fors quoque rudius non nihil Templi mei exprimitur χῆμα, propterea quod illius referre debebat formam ædis, ad cujus normam ſuum adconmodavit Veſpaſianus ædificium: adconmodaſſe autem Veſpaſianus, ejusdem inſtaurator & reſtitutor, cenſendus eſt fabricam ſuam ad normam primi Veſtæ templi, a Numa conditi, cujus formam, veri videtur ſimillimum, in ea temporum, rerumque conditione fuiſſe ſimplicem, obviam, ac inpolitam.

Ad id jam venis, quod ſi cetera abeſſent omnia, ſolum, contendis, *numaria in republica Veſpaſiam cum tota ſubſtructione evertere;* idque, ais, *te ultimo loco reſervaſſe doloris*

Digitized by Google

mei cauſſa: nempe volebas, ut dubia γνησιότης numi, hactenus non viſi, lente quaſi per gradus, qui cogitari poterant, emoriatur. Profiteor primum me tibi obſtrictum pro hac, ut credo, ſincera animi in me propenſi teſtificatione: alterum vero a tua humanitate flagito, ut ne ſubcenſeas mihi, aut tibi ipſi dolorem oboriri patiare, quum ex modo dicendis perſpexeris, hunc, quem putas argumentorum tuorum Achillem, non jam doloris mei gratia, ſed proprio ſuo merito, nimirum ob inbecillitatem, imo inanitatem ſuam poſtremum tenere locum, eumdemque non per gradus, ac pedetentim, ſed una, unoque ictu proſtratum emori. *Tam humilia ſunt omnia*, ais, *in poſtica, atque vix ex area prominentia, ut ſi ſignum S. C. abeſſet, prima fronte in Hiſpanica, aut Syriaca aliqua Colonia flatum, non percuſſum exiſtimarem, antica non inſpecta, ubi tamen adcuratius in omnem partem verſatus fuit, ne fuſum quidem, ſed ſcalpro miſerum in modum raſum cenſebam potius.*

Itane numus meus raſus videtur oculis nimirum tuis, in eum ante armatis? Τὸν ὑγιαίνοντα ὀφθαλμὸν, præclare ſcribit Marcus Antoninus Imperator (α), πάντα ὁρᾷν δεῖ τὰ ὁρατὰ, καὶ μὴ λεγέιν, τὰ χλωρὰ θέλω· τοῦτο γὰρ ὀφθαλμιῶντός ἐςι. *Oculus*

(α) Μάρκου Αντωνίνου Αυτοκράτ. τῶν εἰς ἑαυτὸν Βιβ. ί.

Oculus bene conſtitutus cuncta videre debet, ut ſe in conſpectum dant, & non ſolum viridium, nempe delectantium, adſpectum adpetere : hoc quippe ægrotantis eſt. Tibi certe, velut oculo per vitrum viride inſpectanti, omnia alia, ac reapſe ſunt, meo in numiſmate adparent. Hunc in modum ædes, poſteriorem illius aream obcupans, raſa tibi videbatur. Verum ad hunc tibi errorem penitus eximendum primo loco teſtimonium adfero, quod hac quidem in quæſtione, de qua nunc agimus, fidem & autoritatem habere debet ut quod maximopere. Eſt hoc ab ipſo, qui numiſmatis iconem geminam, fronti hujus *Diſſertationis* præfixam, in æs inciderat, ſcalptore profectum *Mansfeldo*; qui, quum myriades ſeu numorum, ſeu aliarum figurarum æri hactenus inſculpſerit, artis hujus peritiam ac uſum habeat, neceſſe eſt, quam qui egregium. Certe quod nec tironem fugiat, id exercitatus hic artis alumnus non poteſt, quin norit, videlicet rationem *fuſi*, aut *percuſſi* ab *raſo* dignoſcendi. Is adeo mihi, quum ex eo quaſi aliud agens, & dubitantis in modum ſciſcitarer, num meum, quod exhibebam, numiſma ſcalpro raſum fors crederet? cum ſtomacho ſubridens : næ is, repoſuit vernaculo idiomate, qui numum hunc ſcalpro raſum cenſeat, ne a limine quidem γλυφικὴν ſalutaſſe, neu veterem monetam vel primoribus digitis adtrectaſſe videtur; mihi certo ne ad primum quidem numi hujus adſpectum ea opinio in mentem venire poterat.

Atque profecto, ſi tu inde, ut videtur, numiſma meum raſum efficere velis, quod monetaria averſæ fabrica cum adverſæ partis labore minus congruat, quum in illa omnia ſint humilia, atque vix ex area promicantia; inmanem numiſmatum antiquorum turbam raſis adcenſere, atque adeo de ſua, quam usque huc apud æquos, & peritos peculii veteris æſtimatores obtinuere, ſtatione deturbare cogeris.

Permulta ſane ejuscemodi numiſmata vel ex meo Cimeliarchio tibi recenſere poſſem, ni brevitati conſulere mavelim; interea nonnulla, ut primis apertis forulis in manus inciderunt, tibi hic ſiſto. Primi obcurrerunt bini numi Agrippinæ, in quorum uno *Plauſtrum* viſitur *a mulabus vectum*, valde quam exeſum, atque adeo vix ex area promicans; ipſæ notæ S. C. & S. P. Q. R. pene intuentis conſpectum fugiunt. His adceſſit *Contorniatus* numus Neronis, huic meo quoad metalli formam germaniſſimus; uti & alter ejusdem Imperatoris, in quo *Portus Oſtienſis* tam humilis eſt, ut vix poſteriore ex area promineat. Ita pariter numi, qui Veſpaſiani *Apotheoſin cum quadriga elephantorum* repræſentat, poſtica nihil prorſus habet exporrecti. Sic *Carpentum* Divæ Juliæ; ſic *Templum Jovis*, item *Columna* Trajani in hujus numis; ſic *Templum Divi Auguſti* reſtitutum ab

Antonino: ſic in Fauſtinæ, quæ habeo, numiſmatibus *Lectiſternium*, item *Templum Hexaſtylon*; ſic Aurelii *Rogus*, ubi literæ præterea eroſæ, ac *Templum tetraſtylon*; ſic denique in Plautillæ numo græco *Templum octo columnis fultum*: ſingula, inquam, hæc ita ſunt humilia & plana, atque vel ætate detrita, vel ærugine adroſa, ut parum aut nihil foras projecta emineant usque adeo, uti cuncta & ſingula, quæ modo ſtrictim percenſui, numiſmata huic meo ea in parte ſic ſint ſimilia, ut ova ovo; quantumvis eadem quoad cetera ita belle conſervata meo proſtent in Muſeo, ut pauca magis. Num tu ſingula illa pari idcirco, qua meum, ratione dixeris ſcalpro miſerum in modum raſa?

Itane tandem tu nihil quidquam virium & roboris edaci temporis denti tribuis, a quo tamen duriſſima quæque paulatim exedi, erodique conſtat? an neſcis juxta Græcorum adagium: Σίδηρος ϗ χαλκὸς ταῖς ἐπαφαῖς τῶν χειρῶν ἐκτρίβονται vel manuum contrectationibus ferrum atque æs deteri? An putas nihil prorſus integro decem & ſeptem continenter ſeculorum intervallo de numiſmate meo abradi, adterique potuiſſe, quo minus eadem omnes in eo figuræ ratione promineant? ut nihil neque ex templi columnis, neque ſtatuis, neque fronte, imo neque ex ipſis literarum apicibus promicantibus adeſum, conroſum, extritumve diſparuerit?

Sane citius tu mihi, faciliusque *Plautini Poenuli ſcenam* verbis tuis explanaris, quam numum meum raſum demonſtraveris.

Finieram argumentum, ni me tantiſper adhucdum morarentur voces illæ tuæ: *Si ſignum* S. C. *abeſſet, prima fronte in Hiſpanica, aut* SYRIACA *aliqua Colonia ſtatum exiſtimarem.* Simile quid jam ſupra de Alexandria Aegypti diſceptavi; in præſens de Antiochia Syriæ Metropoli agam. Putasne tu Romæ modo, non vero alibi, in Græcia, aut *Syria* monetam cum S. C. χαράγματι cuſam? Vt miſſa hic faciam, tum quæ VAILLANTIVS in *Numis Coloniarum*, & præterea T. I. *Numiſmat. Præſtant.* de Æneis, Antiochiæ ſignatis, numis S. C. nota inſignibus, tum quæ ipſe ego ſupra hoc ſuper propoſito adtuli; ea tantummodo addo, quæ alias dilaudatus INL. JOBERTI CONMENTATOR (a) in rem meam de ea *Syriæ* urbe principe conmemorat, & quæ ego, ne multa multis, ſolum latine reddo: *Quum Antiochia Romanis ſe ſubjeciſſet, jus cudendæ monetæ ex earum erat numero prærogativarum, quæ eidem permittebantur; atque veri eſt ſimile, æs, hac in urbe ſignatum, ad ſolvenda adhibitum fuiſſe ſtipendia copiarum, quæ limites tuebantur adverſus Perſas, Arabes, & alios populos, Romanis ibidem Provinciis conterminos. De-*

(a) *La Sci. des Méd. T. II. p.* 221.

hinc, *dicit* TACITUS (α), *initio ab Suria ad flumen Euphratem*, *quantum ingenti terrarum ſinu ambitur*, *quatuor legionibus coercita. Cui ergo mirum videatur*, *ea in urbe*, *ubi cum pro ſtipendio militum Romanorum* , *tum pro mutuo incolarum inter ſe*, *ac cum ipſis militibus commercio pecunia ſignabatur* , & *Græca*, & *Latina percuſſa eſſe numiſmata? Nota S. C. indicat poteſtatem monetæ cudendæ Antiochenis ſenatus decreto eſſe conceſſam.* Idem alibi (β) : *Nequaquam imus inficias*, *ab Imperatoribus æque*, *atque ab Senatu potuiſſe Coloniis fieri copiam æris ſignandi. Hinc quoque eſt* , *quod in* NVMIS LATINIS ANTIOCHIAE *ad Orontem* S.C. *uſque ad Marci Aurelii tempora* , & *in aliis Antiochiæ Piſidiæ S. R.* Senatus Romanus *inſculptum cernatur. Proconſules ipſi* , *qui pro ſenatu Provincias*, *quas Imperator ſenatui populoque Romano adminiſtrandas permittebat*, *moderabantur* , *nonnunquam ſimilem largiebantur facultatem* , *cujus teſtimonia præbent numi*, *in Achajæ*, & *Africæ urbibus cuſi.*

Ex his manifeſtum fit, non Romæ tantummodo, ſed & in aliis Romani Imperii Urbibus, atque Coloniis, ſecus ac tibi videtur, æs cum S. C. nota ſignatum fuiſſe. Hac obcaſione & aliud mihi in mentem venit, nimirum Veſpaſiæ

R 3

(α) *Tacit. Ann. IV.* 5.
(β) *La Sci. des Méd. T. I. p.* 210.

meæ monetam fortaſſis in hac ipſa *Syriæ* Metropoli percuſſam eſſe. Ad hoc firmandum, inluſtrandumque primam mihi facem adcendit TACITVS, quum, ubi Veſpaſianum Antiochiæ primo pronuntiatum Imperatorem tradidiſſet, aſtutum ſubdit (α): *Apud Antiochenſes aurum, argentumque ſignatur.* Idem libro eodem (β) narrat, a Muciano, Veſpaſiani Duce, habita facundiſſima concione milites in verba Veſpaſiani adactos, atque hunc ab iis primum Antiochiæ Imperatorem conſalutatum. Quorſum hæc dicta? ut oſtendam, quam pronum, quamque congruum tum fuerit, ut vel ab Veſpaſiano ipſo, ut cum maxime creato Imperatore, vel ſi mavis, a Muciano in ea pecuniæ ſignatæ multitudine, in fauſtis iis novi Imperatoris adclamationibus, atque exſultantis militis, populique plauſibus, & æneum procuderetur numiſma, quo ad alia, omnibus perſpecta, Veſpaſiani decora atque ornamenta, etiam nobilitatis, tantopere a priſcis quæſitæ & æſtimatæ, ſplendor velut cumulus adcederet.

Erat Veſpaſianus, quod ſuperius jam dictum, obſcuro genere ortus adeo, ut SVETONIVS (γ) perhibeat,

(α) *Tacit. Hiſtor. II.* 82.
(β) *Id. Ib.* 80.
(γ) *Suet. in Veſp. c.* 4.

eum ad motum rebellantium Judæorum conprimendum a Nerone potiſſimum delectum eſſe: *ut & induſtriæ expertum, nec metuendum ullo modo ob* HUMILITATEM GENERIS *ac* NOMINIS. Quare ad hanc *generis* & *nominis*, puta paterni, *humilitatem*, priſcis illis magno habitam deſpicatui, tantiſper elevandam quidni adminiculum maxime congruum peteretur a materni ſtemmatis, quippe nobiliſſimi, elatione ac ſplendore? unde eadem de cauſſa, uti alias innui, ipſum quoque nomen ſuum mutuatus videtur Veſpaſianus. Hujus itaque maternum *genus* ac *nomen* moneta conſignari, atque in vulgus conmuni illa lætitia efferri conveniebat valde quam oportune. Id quo minus Mucianus, ſuprema & Provinciæ Syriæ, & militiæ cum poteſtate præfectus, præſtaret, quid obſtabat, quid intercedebat? Effecerat is, ut ante ex TACITO, quo Veſpaſianus & a militibus, & ab Antiochenis primum ſalutaretur Imperator. Conpertum præterea ex SPANHEMIO, VAILLANTIO, aliisque Rei Numariæ Magiſtris eſt, Præſides, Quæſtoresque Provinciales, ac Militares, pecuniam pro ſtipendiis legionum adminiſtraſſe, unaque & numos ipſos cudendos curaſſe. Hujus teſtes agunt numi ipſi, quorum conplures ſub Antonio, Julio, & Auguſto a Prætoribus & Quæſtoribus cum Provincialibus, tum militaribus percuſſos recenſent MEDIOBARBUS, &

Digitized by Google

VAILLANTIVS. Hic meminit præterea (a) numi oppido rari, qui ipſos duos Provinciarum Præſides, nempe Tiberium Alexandrum Ægypto, & Licinium Mucianum, de quo hic, Syriæ Præfectum, repræſentat, dextram ſibi porrigentes ad Veſpaſianum ſuarum legionum conſenſu procreandum Imperatorem: de his binis Prætoribus *vid.* SVETONII *in Veſp. c. 6.* Percuſſit igitur Mucianus peropportuna in ea rerum conditione, quum alioquin ingens pecuniæ vis, teſte TACITO ante laudato, tum temporis Antiochiæ ſe curante ſignaretur, & æneum Veſpaſiæ numiſma cum averſo typo Veſtæ templi, Auguſtis feminis alias familiari, ipſarumque capitibus ob rationes ſupra adductas jungi paſſim ſolito; ut hoc pacto clarum Veſpaſiani ſtemma, quale modo maternum erat, mox ſub prima imperii delati initia propalam, plenaque in luce poneretur, atque is non ſolum ob alia, quibus eminebat, decora, ſed & ob Nobilitatis laudem populo commendaretur.

Sed manum de tabula. Infirmatis hactenus, confutatisque, quoad mihi licuit, tuis, quæ contra numiſma meum *καίρως ἀκαίρως* objectaſti, argumentis, atque juxta conſtabilito cauſſæ meæ robore, quid ſuperat, quam ut *τὸν κολοφῶνα* addam? Addam, ubi tibi paucis etiamnum ad magis

gis

(a) *Vaillant T. II. Num. Præſ. p.* 85.

gis denique firmandam rem meam oſtendero ; & notas ac characteres, unde monetis antiquitas, atque integritas ſua conſtat, in Veſpaſiæ meæ reperiri numo. Signa hæc, ſeu notæ propriæ, atque germanæ a monetæ veteris præceptoribus potiſſimum hæ enumerantur: metallum, hujus forma & fabrica, pondus, typorum figuræ, inſcriptionis characteres, ac denique in æneis nobilis illa cruſta, qua non, niſi ab natura, multorum ſeculorum intervallo æs veſtiatur, atque imbuatur.

Jam quod metallum numi adtinet mei, id æs eſſe antiquum, cuique inſpicienti ac exploranti apertum eſt ; neque niſi uni illi dubium ſit aut obſcurum, qui æri ab lupinis diſtinguendo non ſit. Formam ejuſdem ac fabricam ſimiliter eſſe partum antiquum, docet adæquata ipſius cum plurimis aliis numophylacii mei numiſmatibus, quorum ſingulorum integerrima eſt autoritas atque antiquitas, ſive quoad duritiem & aſperitatem, ſive quoad facilitatem in tractando, ſive quoad limbi orbem convenientia, ratioque prorſus gemina. Pondus ipſe, præſente erudito Numophilo, adpendi, & par antiquis aliis ejuſdem moduli, ac metalli monetis, imo & harum nonnullis majus reperi. De typis, inſcriptisque literis ſatis, opinor, in ſuperioribus actum. Jam quod ad extremum in rem meam facit plurimum, eſt illa æris facies, ſeu cruſta pulcerrima, indubitata, teſtibus P. JOBERTO, AE-

Digitized by Google

NEA VICO, aliisque eruditis monetæ antiquæ Cenſoribus, antiquitatis nota, quæque a peritis æſtimatoribus pluris ſit, atque pretioſiſſimum metallum propterea, quod nulla ars ſeu induſtria, ut bene advertit P. JOBERTVS (α), ſive colorem, ſive fulgorem, ſive glabritiem atque lævitatem ſpectes, eam ea ratione æri inducere, inferereque poſſit, qua natura, plurium ſeculorum labore in eo verſata. Ego certe palam hic declaro, me juxta cum eruditis aliis Numophilis, qui Veſpaſiæ meæ numiſma æqua & exacta indagine explorarunt, de ejusdem integritate, ac antiquitate ſic eſſe convictum, atque perſuaſum, ut prius, quam de hujus, de *Decii numi*, in meo pariter Muſeo adſervati, ſinceritate, ſuper qua tamen tu conplura argumenta in *prima tua* ad me *Epiſtola*, luci publicæ conmiſſa, congeſſiſti, dubitare in animum inducerem.

Et profecto, ſiquidem, quia rariſſimus, quia hactenus non viſus, quia unicus, continuo numus meus in adulterinis cenſendus ſit, quid de iis ſtatuendum, quorum necdum vulgatorum editionem te nunc ut cum maxime moliri audio? quid tot aliis fiet, a BANDVRIO, & VAILLANTIO in rarorum, aut rariſſimorum cenſu conlocatis, & quorum ego in uno meo Cimeliarchio facile quadringentos & amplius numero? ex iſtis

(α) *P. Jobert La Sci. des Méd. T. I. p.* 443.

Digitized by Google

exempli cauſſa non hic percenſebo, niſi æneos eos, quos Cl. VAILLANTIVS inter *Impp. Rom. Numiſmata Præſtantiora* in *rariſſimorum* loco ponit, ut hac obcaſione eruditis veteris monetæ arbitris, & amatoribus publicùm quodpiam numophylacii mei ſpecimen, ac veluti promulſis proponatur. Primum ſiſto numum *primi moduli* cum *capite Tiberii laureato*, & *Epigraphe* CLEMENTIAE. Ab hoc ſecundus ſit ejuſdem Cæſaris numus *primæ* ſimiliter *magnitudinis* cum *inſcriptione* ROM. ET AUG. Tertium obcupet locum moneta cum *capite Caji laureato*, & *Templo*, cui inſcriptum: DIVO AUG. Quartam *ſecundi moduli* monetam ſubpetit *laureatum Neronis caput* cum *Epigraphe*: ANNONA AVGVSTI. Huic ſubcedant terna alia ejusdem Cæſaris numiſmata: primum *primæ formæ*, cui *inſcriptio* MAC. AVG. Alterum *ſecundæ formæ*, inſcriptum: PORT. OST. AVGVSTI. Tertium *mediæ* pariter *formæ*, cum nota S. C. repræſentans *Arcum ſine epigraphe*, *ſupra quem Quadrigæ cum Victoriolis*.

Hæc ſequitur numiſma *primæ magnitudinis* cum *capite Galbæ laureato*, inſcriptum: ADLOCVTIO. *Ejuſdem* præterea *magnitudinis* alterum iſtius pariter Imp., in quo *Imp. paludatus ſtans manum porrigit Romæ genu flexo ſupplicanti*, *ſ. puerulum gerenti*, c. Epigr. ROM. RESTIT. Tertium item ejusdem Imp., at *ſecundæ formæ*, cum *Arcu*, *ſupra quem*

Digitized by Google

Quadrigæ Triumphales; tres figuræ nudæ, manibus poſt terga revinctis, ad arcum properant, quas figura baculo elato inſequitur: Inſcript. QUADRAGENS. REMISSAE. Tum conſequitur, *Primi Moduli* numus *Trajani*, in quo cum nota S.C. exhibetur *Circus Maximus, in cujus medio Obeliſcus. Ejusdem* quoque *moduli* Numiſma c. *capite Plotinæ Auguſtæ*, Trajani uxoris; averſam ornat *figura muliebris ſtans d. Spicas. ſ. caniſtrum florum & frugum. Epigraphe:* FIDES. AVGVST. *Primi* juxta *moduli* eſt numus *Hadriani*, cujus area poſterior exhibet Imperatorem, *qui figuram muliebrem ſublevat capite radiato, ſ. ſceptrum gerentem*; inſcriptio: RESTITVTORI ASIAE. Germanus huic quoad *formæ magnitudinem* eſt alter ejuſdem *Hadriani*, in cujus poſtica *Imperator paludatus ſtans in ſubgeſto adloquitur cohortes* cum Epigr. EXERC. BRITANNICVS. Hos excipiat numus *Antonini Pii*, quem *mediæ formæ* nedum *rariſſimum*, ſed & *ſingularem* adpellat VAILLANTIVS: repræſentatur in ejus averſa *Rogus* cum Epigr. CONSECRATIO. Numus item Commodi, in cujus area poſteriore viſitur *Navis cum duobus velis expanſis, Epigr.* PROVID. AVG. P. M. TR. P. COS. V. P. P.

Jam in cenſum veniant bina *Didii Juliani* numiſmata, utrumque *formæ mediæ*: in alterius averſa cernere eſt *figuram*

mulicbrem, *utraque manu ſignum militare*, c. Epigr. CONCORD. MILIT.; in alterius poſtica conparet *figura muliebris d. Temonem globo inpoſitum ſ. Cornucopiæ*, cum Epigr. P. M. TR. P. COS. His proxima bina pariter numiſmata, alterum *Manliæ Scantillæ*, Juliani uxoris, *formæ mediæ*, alterum *Didiæ Claræ*, ejusdem filiæ, *formæ primæ*: in primi averſa conſpicitur *figura mulicbris ſtans d. pateram*, *ſ. baſtam puram*, *pro pedibus pavo*; Epigr. JVNO. REGINA.; in ſecundi area ſecunda *figura mulicbris ſtolata ſtans d. palmam oblongam*, *ſ. Cornucopiæ.* c. Epigr. HILAR. TEMPOR. Jam agmen, ne longius vager, claudat *Alexandri Severi* numus *primæ magnitudinis*, elegantiſſimus, & rariſſimus a Vaillantio nuncupatus. Averſa conſpectui ſiſtit *Templum pulcerrimum porticibus ornatum*, in cujus medio *Jupiter ſedens d. fulmen*, *ſ. baſtam* c. Epigr. JOVI. VLTORI. P. M. TR. III. COS. II. P. P. Superſedeo hic recenſendis conpluribus aliis, puta *Caracallæ*, ejusdem *Alexandri Severi* ante memorati, *Gordianorum*, *Balbini*, *Philippi ſenioris*, & aliorum, qui non inferioris, ac priores illi, pollent venuſtatis & raritatis laude.

Horum omnium, & ſingulorum, a Vaillantio inter *æneorum rariſſimos* ſcriptorum numorum, eo confidentius hic mentionem intuli, contractam licet ac parcam,

quod memoriæ hodieque inpreſſum teneo, te ipſum, VIR mihi AMICISSIME, quum numophylacium meum, quantum eſt, perluſtrares, eos non inſpexiſſe modo; ſed quoque non absque luculentis, quæ prodidiſti, admirationis indiciis ſuſpexiſſe, atque deprædicaſſe. *

Ad finem properans, ex deſtinato hic diſſimulo ſilens numerum haud mediocrem numorum aliorum *omnis formæ*, qui juxta meum ornant Muſeum, quamquam neque in ANGELLONIO, MEDIOBARBO, VAILLANTIO, BANDURIO, neque in ullo alio Antiquariorum notorum, Muſeorumve

(*) *Mihi quoque, qui præſentem Diſſertationem nomine & auſpiciis Perinluſtris Equitis & Conſiliarii* HAVERI *elucubratus ſum, non ſingula modo, quæ hic ſupra enumerantur, verum & alia omnia, quotquot nimirum Muſeum* HAVERIANVM, *a numaria ſupellectile inſtructiſſimum, omnibusque abſolutum numeris, in univerſum complectitur, Numiſmata iterum atque iterum* πρόσω ϗ᾽ ὀπίσω *luſtrare, converſareque conceſſum fuit. Unde hoc loco adfirmare quoque auſim, me hanc Apologiſtæ provinciam nunquam fuiſſe ſuſcepturum, niſi in iis Veſpaſiæ Numiſma, ſuis quam exacte a me ante examinatum ponderibus, omnino ſincerum, atque ab omni* νοθείας *ſuſpicione eximium deprehendiſſem. Quare mirari ſatis non poſſum, qua ratione Literatiſſimus alias* KHELLIVS *induci ſe paſſus ſit ad laudatum ante Inluſtrem ejusdem Poſſeſſorem eapropter ſeu erroris, ſeu fraudis inſimulandum; quippe quem perbene norat, ſumptibus ac ſtudiis, multorum continenter annorum ſpatio in Veterum peculio conlocatis, eam iſtius tractandi peritiam nactum eſſe atque dexteritatem, quam vel adeo ipſe laudatus* KHELLIVS *non raro, adportatis ſecum variis commatis antiqui numis, in ſubſidium ſibi & conſilium vocandam duxerat.*

Digitized by Google

vulgatorum reperire eoſdem licet; quique adeo nedum in *rariſſimorum*, verum & in ἀνεκδότων coetu locum ſibi vendicant.

Quod ſi ad extremum ex me perconteris, cur Veſpaſiæ meæ numus adeo rarus, imo unicus ſit? primum ego ex te quoque quæro, eccur numiſmata ænea tum *Plotinæ* Trajani uxoris, tum *Marcianæ* ejusdem Imperatoris ſororis, rariſſima ſint? id quod ipſum & eruditiſſimo Vaillantio mirum videtur, in Plotina potiſſimum, eo quod iſta tota in decus & gloriam Trajani ceſſerit, bonoque Reipubl. Romanæ nata fuerit. Deinde ex te contor, eccur argenteus *Anniæ Fauſtinæ* numus, qui in Muſeo *D. Abb. de* Rothelin reperitur, teſtibus Vaillantio, & Inl. Joberti Conmentatore, unicus ad id tempus fuerit, & etiamnum ſit? Quot non numos ἀνεκδότους, in terræ viſceribus hodieque conſepultos, ventura deteget ætas? quot non inde ſors eruet eruditus juxta, ac inprobus Academicorvm hercvlanensivm labor? cui tot fauſtis hactenus ſubceſſibus coronato, noviſſime præmium, imo theſaurus adceſſit ingens in detecto, effoſſoque pene integro *Iſidis Templo* una cum victimarum oſſibus & cineribus, variaque vaſorum, in ſacrificiis illis adhibitorum, ſupellectile; quemadmodum hujus, quo iſthæc ſcribo, diei referunt Ephemerides Vindobonenſes.

At quidquid demum horum ſit, modo certa conſtet numiſmati fides atque vetuſtas, quam quidem ego prolatis usque huc argumentis meo adſatim adſeruiſſe mihi videor, adeo *raritas*, & *unici* prærogativa eidem non obſunt, ut potius ingens inde & pretium, & exiſtimatio peritos apud Numophilos ei adcedat, pretiumque eo adcedat majus, quo rarior eſt numus. Hinc quum numiſma Veſpaſiæ meæ non tantummodo *rariſſimum*, ſed ſingulare & *unicum* ſit, atque præterea ejusdem integritas, ac vetuſtas eo ſint argumentorum robore in publicum ſtabilita, quo nullius ſors alterius ex Cimeliarchiis notis; relinquitur neceſſario, illud pretii eſſe omnium maximi, & uni mihi arbitrarii.

Animadvertis tu inde, opinor, quanto, quamque juſto mihi dolori fuerit Minoa tua ſeveritas, qua levibus dumtaxat, quæ tibi prima fronte obcurrerunt, argumentis adductus, an ſeductus? pretioſiſſimum Numophylacii mei ocellum proſcripſiſti, atque adeo de ipſius Muſei mei pretio, quantum per te ſtetit, inminuiſti; crevit dolor hoc amplius, quod tu ipſe eodem anno, quo damnatoriam tuam in numum meum epiſtolam emiſiſti, publicis in poſitionibus typo inpreſſis, quas te Præſide, atque me præſente, Inluſtriſſimus Comes Banffivs in Conlegio Thereſiano coram nobiliſſimorum Auditorum conſeſſu tuitus erat, quæſtionem

de

Digitized by Google